MacCALLAGHAN, J.
1650

587

EX LIBRIS.

D. H. Kelly.

THE O'KELLY.

587
MILLTOWN PARK, S.J. ✓
LIBRARY
IRISH RARE BOOKS
C.10 / S.1

DA
943
.C35
1650
IRISH

printed in the year

[Belling, Ricardus]. Vindiciarum Catholicorum Hiberniæ authore Philopatro Irenæo (R. Belling) ad Alitophilum Libri duo

RARE, *green morocco extra, gilt edges* *Paris*, 1650

*** A very powerful Defence of the Irish Catholics. "Countrymen," writes Dr. C. O'Conor "have you read this Book? If you have not you are ignorant of your history."—

See Columbanus ad Hibernos, No. V. p. 14.

VINDICIARVM CATHOLICORVM HIBERNIÆ

D. AVTHORE

PHILOPATRO IRENÆO

AD ALITOPHILVM

Libri duo, quorum

PRIMVS

Rerum in Hiberniâ gestarum ab anno 1641. ad annum 1649. veritissimam & actorum publicorum fide munitam synopsim,

SECVNDVS

Libelli famosi in Catholicos Hiberniæ Proceres, qui honestissimam cum Regiarum partium hominibus pacem inierunt, accuratam confutationem continet.

Ne confundaris dicere verum. Eccles. 4.

PARISIIS,

Apud { Viduam I. CAMVSAT, ET PETRVM LE PETIT, Regis Typograph. } via Iacobæa, signis Ve Aurei Cr

M. DC. L.

CVM PERMISSIO

1.668

PRÆFATIO.

SI malorum Hiberniæ authores, optime Alithophile, postquam calamitosissimum regnum, quod à graui, ac diuturnâ tam in Religiosis, quam politicis functionibus oppressione, diuinâ prorsus ope ad libertatis confinium postliminio assurrexerat, in miseriarum barathrum denuo præceps egerunt, possent tandem aliquando conquiescere: Ego etiam Religionis, ac patriæ ruinam tacitis suspiriis gemere, quam expresso luctu deflere, satius arbitrarer. Quia vero (quæ ars est perpetua reorum omnium) tantarum calamitatum veri opifices, quod à se peccatum est, à se amoliuntur, & in aliorum etiam innocentissi-

morum hominum capita refundunt: Regni Primores tanquam Religionis ac Nationis proditores, famosis libellis variis linguis editis, ac vbique terrarum incredibili ardore ac diligentia sparsis, traducunt; viros integerrimos, patriæque felicitatis amantissimos tam Ecclesiasticos, quam Laicos, quotquot suis molitionibus obsistere conati sunt, calumniis onerant, probrisque proscindunt: Ego non scribendi pruritu, non conuiciandi libidine, non exulceratæ mentis impotentia, sed Catholicæ Religionis Zelo ac defendendæ innocentiæ studio toties lacessitus, tot ac talium Hiberniæ Magnatum toties sollicitatus iniuriis, tot mendacibus rumoribus, tot infamibus scriptis in viros optimos publicatis, demùm in hanc arenam inuitus descendo, ne taciturnitas diuturnior veritatis ac iustitiæ vera sit præuaricatio, aut coniurati vtriusque hostes, si nemo aduersetur, si necessarium patrocinium nemo suscipiat, iniquis

cœptis acriùs insistant, aut quasi parta victoria elati magis insolescant.

In pudendo hoc scribendi genere offendit præ cæteris libellus ille famosissimus, quem à parente primario, vel potiùs à suis authoribus (plures enim nascenti huic monstro obstetricatos comperimus) Louanij scriptum, ac Bruxellis editum, F. Paulus King Minorita, qui reipsa est, & haberi amat præcipuus eius fabricator, secum abstulit, & in vniuersas Europæ plagas aut ipse detulit, aut per alios eiusdem farinæ soliuagos Monachos portandum curauit. Qui quidem libellus etsi in se spectatus tam contemptibilis, tamque monstrosus est, vt embryonem informem potiùs, quam fœtum vlla ex parte perfectum meritò dicas: tantam tamen apud aliquos fidem, proh nefas! obtinuisse dicitur, vt Hiberniæ Regni Primates, quos atro, quo exaratus est, veneno aspergit, nequissimorum hominum loco apud illos habeantur.

Equidem quanquam hæc audita non nihil me mouerint, sortique Nationis meæ Procerum, quorum fama tam indignè laceraretur, plurimùm indoluerim : diu tamen nihil minùs quam de eo refellendo cogitaui. Verebar nimirum ne libellus qui reipsa nihili quidem esset, iam ab iis aliquid esse crederetur, qui confutationem eum meruisse intelligerent: & verò quosdam solùm vulgares animos fidem ipsi adhibuisse existimaueram, quos tanto temporis ac laboris dispendio ab errore tam supino sanare vix operæ pretium esse ducebam.

Verùm quando rem eò prouectam accepi, vt F. Paulus King, qui Romam superiori anno peruenit, tam suo illo libello, quam aliis innumeris mendaciis, atque calumniis innocentissimorum Procerum existimationem, non solùm apud Eminentissimos S. R. E. Cardinales, queis rebus Hiberniæ inuigilandi demandata est à Summo Pontifice Prouincia, sed etiam apud

ipsum sanctissimum Patrem Innocentium X. ignominiosissimè simul ac sceleratissimè deformauerit, pœnitere mc cœpit, quod infamis illius cadaueris sectionem huc vsque distulissem.

Tantus est profectò mendaciorum in perexiguo isto libello contentorum fœtor, tanta calumniarum putredo, vt vel minimùm discussus quemlibet emunctæ naris hominem à sui lectione quam longissimè abigat. Porrò hoc ipsum est, quod tandem aliquando factum imus, Alitophile; is institutî opusculi finis, mendacia horrenda, & pares omni supplicio calumnias à Fr. Paulo King Franciscano Hiberno optimis quibusque Hiberniæ Paribus, nobilibus, clarisque tam Ecclesiasticis quam Laicis viris illatas detegere, conuincere, confutare.

Vtinam hanc à nobis non expressisset operam ipsa defensionis necessitas: vtinam satis habuissent famosorum libellorum opifices Nationem integram ac Religionem in apertissimum

ac penè ineuitabile ruinæ discrimen præcipitare, nec famam quoque, quæ saltem, aliis omnibus nullâ suâ culpâ perditis, viris bonis reliqua esse deberet, sacrilego ausu tot ignominiæ notis apud exteras Nationes inustis fœdare tentassent: vtinam denique eorum nos maledicta ita possemus retundere, vt omninò neminem, aut sanè non alios quam Paulum perstringere necesse esset.

Verum quia quæstio de facto *est (vt aiunt) potiùs quam* de iure, *suumque libellum edidit calumniator iste in gratiam Reuerendissimi Ioannis Baptistæ Rinuccini Archiepiscopi Firmani superioribus annis Innocentij X. summi Pontificis apud Hibernos Nuntij Apostolici extraordinarij, quò censuras ab eo in fœderatos eius Regni Catholicos latas, iustas demonstrare contenderet, adeoque quotquot eis morem gerere neglexerunt tanquam iurium omnium, ac legum, tam diuinarum quam Ecclesiasticarum*

violatores, æternæque mortis reos insimularet, inde est vt in breui quam teximus totius historiæ serie, de eodem Reuerendissimo Nuntio, quem primam in hac scena personam egisse manifestum est, & crebrior, & verò longè alius fortè, quam in plerisque vellet, nobis futurus sit sermo; quod si ægriùs ferat ille, non tam mihi qui facta solùm candidè, & verè refero, quam calumniatori isti succensere poterit, qui quò ipsum sibi deuinciret, tot mendacia non ferenda in rerum publicè gestarum narratione promiscuè congessit, totque contumeliis atque conuitiis bonorum famam vellicauit. Quas quidem spississimas falsitatis nubes oppositâ veritatis luce ita dispellere oportuit, vt non nisi quibusdam Reuerendissimi Nuntij factis, quæ latere ille mallet, ob oculos positis id fieri potuerit; quibusdam, inquam, hoc est paucis de multis, leuibusque è grauissimis pluribus, quæ honori eius, quantum licuit, consulens vltrò præteriui.

Si quid igitur in hoc rerum à se gestarum compendio minùs ipsi placuerit, non irascatur mihi quod scripserim, sed, quod æquius est ac salubrius, sibi ipse succenseat, quod in sua illa prouincia ea penè omnia commiserit, à quibus abstinere, ea omiserit, quæ omni studio exequi debuisset: irascatur etiam malè officiosis patronis suis, quod innumeris eum mendaciis, etiam cum iactura famæ bonorum, defendere voluerint.

Certè nihil vnquam minus mihi cordi fuit, quam virum charactere Archiepiscopum, functione Summi Pontificis ad patriam meam Nuntium, à quo me ipsum nulla in re offensum aut grauatum profiteor, editis, quæ ab eo minus prudenter, & fortè minus candidè, quam par erat, gesta sunt, suggillare: nisi id assentatores, & vt verè dicam, non minus ipsius, quam patriæ & Religionis hostes infestissimi exegissent: itaque non priuati cuiuspiam liuori, non contenden-

di, aut litigandi libidini, sed impo-
sitæ à se suisque necessitati hanc qua-
lemcumque gestorum suorum explica-
tionem adscribendam censeat; adeó-
que sibi ipsi tribuat, quod in Hiber-
niam delatus, non optimis, sed pessi-
mis quibusque, non cordatis, sed ve-
cordibus accessum, & aurem præ cæ-
teris præbuerit: illos in omnibus suis
contra Regni ordines actis solos habue-
rit, solos secutus sit consultores; aut si
optimis etiam viris procliue est patere
fraudibus subdolorum hominum, qui
fictis officiis, & ementitæ pietatis osten-
tatione in credulas mentes sensim ir-
repunt, iure illis irascatur Reuerendi-
ssimus Nuntius, & præ cæteris eo-
rum quibusdam, qui tam Romæ
quam alibi, merâ titulorum Eccle-
siasticorum ambitione, se ipsi per
nefanda mendacia subinde con-
ficta etiamnunc militare simulant:
doleat, quod suo planè infortunio
non doctos, ac probos, sed ignarissi-
mos quosque, ac ambitiosissimos in

arctiorem amicitiam, familiaritatem, ac consiliorum consortium asciuerit. Demum (quod in suâ ad P. Lucam Vvadingum ex Galliarum Neustriâ, si bene memini, scriptâ testatus est epistola) doleat vehementer, & ex intimo corde conteratur, quod Hiberniæ Regni ordines excommunicauerit, Clerumque ac populum Catholicum primùm diuiserit, mox inter se commiserit, ac sic vtriusque ruinæ viam patefecerit, quodque iustum est, se in his multùm sui oblitum fateatur, nec quominus censuræ illæ, quales reuera sunt iniustæ, ipsoque iure irritæ ac nullæ declarentur, amplius per se, aut per suos amicos, aut assecias intercedat.

At missis huiusmodi, quæ à Reuerendissimo Nuntio, nisi plurimùm mutato, non tam expectare, quam desiderare licet, ad te reuertor, Alitophile, tui enim vnius gratia qualiscumque hic labor susceptus est, ne veritatis amator; in re tanti momenti,

nihil minùs quam quod verum est, audire possit aut percipere. Te igitur unum appello, te solum alloquor; inuabit animum aduertere, Duo siquidem præ cæteris te docebo: quæ autem & quo ordine, paucis accipe.

Primo loco exordiar totius, quo Hibernia concutitur, belli tam veram, quam breuem narrationem; cui mox Reuerendissimi Nuntij ingressum in Regnum, ac res eius deinceps in eo gestas ea inseram sinceritate, quam ne Paulus quidem, nisi fidem actis publicis detrahere conetur, carpere, vllâve in re labefactare tentauerit. Et hanc partem RERVM IN HIBERNIA GESTARVM SYNOPSIM *appellare placuit, quâ vel sola exhibita satis Procerum illorum famæ patrocinatum me crediderim: cum veritate prodita, mendacia omnia quantumlibet artificiosè, quantumlibet operosè structa, quasi matutinam pruinam adulti iam solis radio dissolui necesse sit, ac diffluere.*

Deinde ne cui hoc minùs sufficere videatur, ad ipsius etiam libelli Paulini peculiare examen, atque confutationem (quæ altera opusculi pars est) descendam. Vbi & nonnulla historiæ momenta, suo quæque, data videlicet occasione, loco tangentur, ne candorem, Alithophile, tuum improbis ille mendaciis, aut exquisitissima, qua pollet, petulantia ludificari audeat.

Porrò totum opusculum etsi in duos libros diuisum, quorum peculiares tituli varij sunt, VINDICIARVM CATHOLICORVM HIBERNIÆ, *vocabulo scilicet à præstituto fine desumpto, nuncupare visum est.*

Non deerunt haud dubiè qui operis reprehensionem ab ipso exordientur titulo; criminabuntur videlicet Catholicorum Vindicias *appellari, vbi Ormonius, Inchiquynus, aliique nonnulli Regij protestantes defendantur. Iis nos si tales sunt, quibus satisfacere operæ pretium sit, anticipa-*

ta solutione respondemus, quod Augustinus tituli suorum de ciuitate Dei librorum rationem assignans: Ita omnes, *inquit*, cum sint de vtraque ciuitate (*Dei videlicet & mundi*) titulum tamen A MELIORE acceperunt. August. lib. 2. retract. cap. 43.

Mihi quidem imprimis Consilium est Hiberniæ Catholicos, quorum fama iniquissimè vexatur, vindicare, cum id & veritas postulet, & charitas exigat; neque me Catholicum quidquam Religione mea indignum facere arbitratus sum, si oppressis quibuslibet, etiam aduersæ communionis hominibus vbi atrocissimis calumniis exagitantur, in communi præsertim causa commune præstem patrocinium. Nemo enim non videt Catholicæ Religioni, dum Catholicus protestantem calumniis onerat, conuitiisque incessit, magnam vim inferri: nullam autem omnino, dum innocentia cuiuscumque etiam hæretici hominis à Catholico defenditur,

eiusdem Religionis Maiestati iniuriam irrogari. Perditæ ac desperatæ causæ fuerit ad mendacia & probra tanquam ad perfugium excurrere: Catholica veritas nuda, inermis ad victoriam sibi sufficiens, nullam mendacij aut calumniæ etiam in confutanda hæresi operam admittit. Etenim si quis vt rectè Ecclesia Lugdunensis, in ratione fidei vel errat, vel errare putatur, vtique non mendacio vincendus est, sed veritate, sicut & beatus Augustinus ad quendam scriptorem Vincentium Victorem dicit, nos te ita volumus esse victorem, vt veritas vincat errorem, non error errorem, & quod est pejus maior minorem.

Inchiquynum profecto ne ex vultus quidem noui, nec vllo peculiari titulo ipsi Ormonio deinctus sum, nec si potentissimi ambo, simulque munificentissimi essent vt olim, cum videlicet res suas pacificè possiderent, quidquam ab iis speraverim aut optaverim.

1. Remigius, & Ecclesia Lugdunensis de tenendâ veritate scripturæ cap. 9.

uerim. Certe vix boni viri partem esse crediderim, Magnatum fauorem quasi locatæ etiam iustæ operæ præmium quærere, multò minus suum ipsis calamum aut aucupandæ famæ, aut consequendi vllius temporalis commodi voto præstare: vnde factum, vt ego qui opusculum hoc pietate patriæ, amore iustitiæ, ac Religionis Catholicæ studio suscepi, non modo Magnates illos vtique aduersæ communionis homines, verùm ipsos etiam, quorum famæ præ cæteris meo labore consultum cupio, Catholicos, latere desidero.

Cæterum, vt id obiter hic te moneam, Alithophile, quando nulla alia esset scripti huius emittendi causa, nisi vt & offensio tollatur, quam ab horum tumultuum authoribus plerique Catholici accipiunt, & blasphemandæ Religionis nostræ occasio præripiatur hæreticis, illicita quæ in hoc opere commemorantur priuatorum quorumdam facinora tanquam genuinos Catholicæ doctrinæ fœtus Ecclesiæ cæte-

roqui obiecturis; ipsa Ecclesiasticæ disciplinæ necessaria defensio laborem hunc à nobis iure suo visa est exposcere. Etenim multum interest famæ Catholicorum, multumque iuuat ad obstruenda ora obtrectatorum Romanæ Ecclesiæ, si Principibus omnibus tam Orthodoxis quam hetherodoxis, eorumque ministris ac subditis liquidò innotescat, non ex Ecclesiæ armamentariis tela illa hausisse aduersarios, quibus ipsam Ecclesiam, quasi substructis cuniculis aggressi, debitam legitimis potestatibus, earumque vicariis fidem & obsequium etsi obtento Religionis velo, reuera tamen contra Ecclesiasticæ disciplinæ normam irreligioso conatu labefactare nituntur, vt ex consequentibus perspicuum fiet.

Iam vero superest nonnulla peculiariter obserues, idque imprimis me in referendis quibusdam publicis actis, quæ huic operi sparsim inserere necesse fuit, adeò sincerè egisse, vt eorum nonnulla, etsi ad grammaticorum calcu-

los parum latinè scripta, quia sic acceperim, ne vel minimùm mutata tradiderim, alia vulgari linguâ edita ita verterim, vt non tam sensum ex sensu, etsi hoc sit optimum interpretandi genus, quam verbum è verbo, quantum fieri potuit, expresserim; quò futuris reprehensoribus omnem calumniandi viam intercluderem. DIARII *verò, nomen de quo sæpius in synopsi mentio, publica vtriusque partis acta à Concilij Proceribus in suas tabulas accuratissimè digesta intelligenda noueris.*

Monendus es deinde non defuturos qui apud aures tuas nimis importunè obstrepant huius operis scriptorem, quippe qui tam impensè heterodoxis fauere videatur, vix esse Catholicis accensendum, ac sic fidei meæ apud candorem tuum quam malitiosè detrahere studebunt. Horum ego calumniis pluribus occurrere etsi possim, superuacaneum duxi. Satis fuerit tibi, quod verum est, significare, hominum

illorum pleroſque ſuapte naturâ ad calumniandum properiſſimos, quæ ſit Catholica fides, quibus modis teneatur, aut violetur, haud probè ſcire, adeóque nihil iis magis familiare, quam dogmata maximè Catholica promouendæ factionis ſuæ ſtudio, hæreſis nomine notare. Teſtatur id factionis illius inſigne membrum, penè dixerim Coriphæus, qui non adeò pridem inter ſocios hilarior factus, etſi non temulentus, vna menſæ accumbentibus multis propino, *inquit*, vobis ſalutem Trinitatis, Dei ſcilicet, Eugenij O Neillij, & D. Nuntij, (*Reuerendiſſimum Firmanum intelligebat*) quam quiſquis bibere recuſauerit, pro hæretico habendus erit. *Qui mox eo nomine ad Officialem loci delatus, vix quidem commeritam pœnam euaſit; præmium tamen ſuæ in Reuerendiſſimum Firmanum beneuolentiæ Decanatûs inſignis cuiuſdam in Hibernia Eccleſiæ titulum conſecutus eſt. Sed hoc obiter, vt tibi*

insinuem quanti in rebus fidei & mo-
rum huiuscemodi hominum æstiman-
da sit censura.

Erit forte nonnemo qui acriori stilo
quàm pro moderato Christiano vin-
dicias istas, câ præsertim parte, qua
cum Paulo res est, scriptas insimulau-
erit: Hunc ego, vt Hieronymum
in Rufinum, Saluianum in vniuer- Vide Salu-
sum penè seculi sui clerum, aliaque ian. ad
quam plurima Ecclesiæ lumina, in Timoth.
deprauatos tam omnium quam singu-
lorum mores quoties opus fuit, arma-
tum veritatis & charitatis studio ca-
lamum stringentes, præteream: ad
Ioannem Baptistam, imò ad ipsum Vid. Luc.
Christum Dominum, contra inueteratam 3. & Matt.
Pharisæorum malitiam ad mor- 23. per
tem vsque depugnantes, lubens remitto. Conferat sanè quæ in Euangelio
contra hypocritas, dicta legit, cum iis
quæ hic mordaciùs quàm pro suo pa-
lato scripta offenderit, & ex hac opus-
culi collatione cum ipsa æquitatis re-
gula agnoscet, opinor, & quod res est,

non tam me in præstando hoc qualicunque popularium innocentiæ patrocinio, modum excessisse, quam ipsi necessariæ defensionis modo defuisse, vltro fatebitur.

Demum etsi totum hoc opus tibi ex animo dico, optime Alithophile, proindéque in priore libro charum quidem mihi, semperque venerabile nomen tuum identidem appello; in posteriore tamen, vbi cum Paulo acriùs decertatur, vt te vel semel nominarem, committendum non duxi; ne inter pugnandum cum hoste tam contemptibili compellatio illa licet mihi pervtilis ac propè necessaria, in contumeliam tui cedere videretur.

Hæc omnia, amabo te, æquí, bonique consule, ac studiosissimum tui Philopatrum, quod iustum est, amicè complectere, tuisque apud Deum precibus iuua.

LECTORI.

TVmultuarium hoc opusculum vix potuit non scatere erratis, quorum nonnulla crassiora correcta subiicimus. Leviora, vt pote plura iudicio & attentione tua corrigenda speramus: eiusmodi sunt punctorum & virgularum transpositiones, quibus sententia in plerisque interrumpitur, nonnunquam mutatur. Nè tamen nimiam tibi molestiam creet interruptus in pagina 48. libri primi sensus; monendum te duximus vocabulum (acceptis) in linea 26. positum, cuius primum elementum perperam est maiusculum, à consequenti vocabulo (verum) per inchoatam diuidi parenthesim quæ pagina 49. linea 1. post vocabulum (perfidiosissimi) clauditur.

Errata primi Libri.

PAg. 57. l. 20. vigorem *lege* rigorem, p. 61. l. 3. *Catholica* lege *Catholicæ*, p. 83. l. 4. *alterum* lege *alteram*, p. 91. l. 18. *Nuntiis* lege *Nuntius*, l. 23. *latæ* lege *latæ*, p. 94. l. 26. incundâ *lege* ineundâ, p. 95. l. 6. *inquam fuit* lege *vnquam fuit*, l. 7. *quæ* lege *quæ*, p. 101. l. 6. qua si *lege* quasi, *in margine* ex de *lege* extra de, p. 106. l. 3. *obtentâ* lege *obtentâ*, p. 119. l. 6. quia *lege* quæ, l. 19. Eugenis *lege* Eugenij, p. 136. l. 22. Montirs-osarum *lege* Montisrosarum, p. 148. l. 16 eiscere *lege* eiicere, p. 153. l. 25 *alisque* lege *aliique*, p. 154. l. vlt. *dilecti* lege *delecti* p. 200 l. antep. lacè *lege* latè, p. 208. l. 4. Anglia *lege* Angliæ, p. 212. l. 18. illud *lege* illudi, p. 231. l. 20. plerisque *lege* plerique, p. 235. l. 4. Hibernæ *lege* Hibernat, p. 262. l. 9. *corpiones*, lege *scorpiones*, l. 12. & post alibi *dele* post, p. 267. l. 13. tam *lege* tum, p. 279, l. 7. ceptam *lege* cœptam.

PERMISSION.

IL est permis à la Veuue IEAN CAMVSAT, & PIERRE LE PETIT, Impr. & Libr. ordinaire du Roy, d'imprimer le Liure intitulé *Vindiciarum Catholicorum Hiberniæ, Authore* PHILOPATRO IRENÆO, & deffenses à tous autres Libraires & Imprimeurs de l'imprimer ny d'en vendre de contrefaits à peine de cinquante liures parisis d'amende. Fait ce 26. Octobre 1650.

DAVBRAY.

PHILOPATRI IRENÆI VINDICIÆ CATHOLICORVM HIBERNIÆ, SEV NVNCIATVRÆ REVEREND. IOANNIS BAPTISTÆ RINVCCINI ARCHIEPISCOPI FIRMANI Synopsis.

CAPVT PRIMVM.

Motuum Hibernicorum origo, ac belli initia: Kilkenniensis Conuentus in quo Catholici fœdus inter se ineunt, atque interpositæ iurisiurandi religione confirmant.

ANno virginei partus 1641 quidam nobiles in Vltoniâ, Septentrionali Hiberniæ Prouinciâ, occasionem nacti crescentium in Anglia Anno 1641.

turbarum, graue iugum, sub quo à centum, & quod excurrit, annis, tota natio ingemiscit, excutere statuunt. Conspirant igitur de intercipiendo Dublinio regni Metropoli, aliisque simul plerisque munitionibus: dies Octobris vicesimus primus perficiendæ rei destinatur: accingunt se, provt singulis sorte obtigerat, operis executioni. Cornelius Baro Magüir, cui Dublinensis arcis intercipiendæ negotium committitur, à quodam è suis proditus capitur ipse, & in Angliam abductus sequente anno capite mulctatur. Verum fœlix ô Neillius Neurium, Carolomontium, aliasque nonnullas munitiones capit, nec consternatus animo, dum Baronis sortem rescit, arma abiicit; sed ad vindictam potius respiciens, plures in suâ illâ Prouinciâ turbas, ac tragœdias excitat, pauciscque cum copiis, iisque inermibus, belloque inexpertis, plurima præstat contra eius Prouinciæ Anglos, & Scotos multùm (vt in inopinatis tumultibus fit) animo consternatos, etiam minus (si vera referuntur) in Catholico viro probanda.

Clauum regiminis tunc in Hibernià tenebant Duumviri Guillelmus Personus, & Ioannes Burlacius; nuntium ad hos defertur insurrectionis in Vltoniâ prævalescentis, munitionumque intercepturum, sed illi cùm nascentes turbas compescere

facilè possent, fouere maluerunt, vt esset vnde plura nobilium prædia redigerentur in fiscum. Auditur & alibi passim a Catholicis regni Proceribus intra priuatos lares per vniuersum regnum quietè viuentibus, Vltonienses in armis esse. Contremiscunt ad hoc nuntium boni omnes, veriti ne quorumdam priuatorum culpá in Catholicos omnes ab hæreticis Ministris acriùs solito sæuiatur. Quod malum vt auerterent, nobilium ac magnatum plerique Dublinium confluunt, Duumviros adeunt, arma postulant, sibique supprimendarum Vltonienfium turbarum Prouinciam demandari expoſcunt. Respuunt oblatam Catholicorum operam Personus, ac Burlacius, quin & vniuersos catholicæ communionis homines, vt & indigenas omnes, sibi esse suspectos non obscurè significant; vnde nec arma petentibus, nisi quibus hostis irritari, non impugnari posset, visum ipsis impertire. Animaduertunt fraudem hæreticorum Magistratuum, eâque percelluntur non Proceres modò, sed & cuiuslibet conditionis per vniuersum regnum Catholici, actumque de se intelligunt, nisi tempestiuè sibi prospiciant: eò nimirum tendere Puritanorum consilia, vt suppressa regiâ authoritate, alia regiminis forma introducatur, idque quò facilius perficiatur, Catholicos

(vtpotè in maiestatem religionis suæ titulo, cæteris omnibus fideliores) è tribus regnis stirpitùs euellendos.

Accedebat & metus ex quorumdam Puritanorum magnatum interceptis fortuitò literis, quibus significabatur *Papistas* propediem ad abiurandam fidem cogendos, aut ad nouam Angliam transportandos, quò nimirum in viciniore Hibernia transferendis illuc nouis ex Anglia coloniis locus fieret.

1642. Hæc & alia innumera grauamina, sub quibus iampridem oppressi fuerunt in odium tam nationis quàm religionis, Hiberni Catholici tantùm valuerunt, vt eorum plerique prius etiam, quam in commune consuluerint, aut coaluerint, rem bello decernere statuerint. Mox procerum complures ac prælatorum nonnulli per mutuas literas moniti statâ die Kilkenniâ (ea Lageniæ ciuitas mediterranea est) conueniunt, de se ac reliquorum populatium conseruatione deliberaturi. Ibi perpenso præsenti rerum statu, non aliam superesse iudicant salutis viam, quàm quæ in armis, & extremorum remediorum apparatu posita sit. Eam igitur vnitis animis ac iunctis ex composito viribus, quamprimùm ineundam: & quò firmius cœpris fundamentum sternerent, nihilque sine religione, & iustitiâ auspicarentur,

consulti de æquitate belli, qui tum aderant, Episcopi, aliique doctores Catholici, eam in hæc verba declararunt. *Cum bellum quod ab Hibernia Catholicis contra sectarios, præsertim Puritanos, inchoatur, pro Catholicæ religionis defensione, pro supremi Regis nostri Caroli, iustarumque prærogatiuarum, ac iurium eius conseruatione, pro serenissimæ nostræ Reginæ defensione, pro securitate regiæ sobolis à Puritanis indignissimè tractatæ, nec non pro defensione vitæ, ac fortunarum nostrarum, iustarumque ac legitimarum nostræ huius nationis immunitatum ac libertatum, contra iniustos inuasores ac oppressores, maximè Puritanos suscipiatur: Nos illud ex Catholicorum parte legitimum, ac iustum esse sentimus, ac declaramus: In quo tamen promouendo, si qui iniustâ, auaritiæ, odij, vindictæ, aliâue id generis quacumque sinistrâ intentione, aut iniquo consilio, aut fine, procedant, nos eiusmodi grauiter offendere, adeoque Ecclesiasticis censuris castigandos, coërcendos, ac puniendos iudicamus, nisi moniti intentionem mutent, ac vitam emendent*; hæc est decisio nationalis Hiberniæ Concilij apud Kilkenniam habiti mense Maio anni 1642.

Ac ne quis ab incœpto communis defensionis opere recedendi, aut ad hæreticas partes quouis prætextu in posterum

deficiendi, facultatem sibi superesse arbitraretur, fœdus initur, cuius sacramentum ab omnibus in hæc verba præstandum erat.

Ego N. N. coram omnipotente Deo, Angelisque, & sanctis eius iuro, me fidei Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ libertatem, serenissimi Regis nostri Caroli personam, paredes, ac iura; nec non legitimas huius nationis immunitates, ac libertates contra quoslibet vsurpatores, aut inuasores, cum fortunarum omnium ac ipsius etiam vitæ discrimine defensurum.

Hanc fœderationem, quam associationis iuramentum vocant, Comitia Generalia Kilkenniæ paulò post habita authoritate suâ approbant. Et quò regiminis forma certa apud eos, & constans esset, leges pro tempore condunt æquitatis & iustitiæ, ipsorum etiam inimicorum confessione plenissimas: & selectos quosdam ex singulis regni Prouinciis viros constituunt, qui summam rerum, authoritate summâ, vsque ad alia comitia proximè sequentia, fœderatorum omnium nomine moderarentur, quibus omnes & singulos fœderationis socios ad exactam in omnibus obedientiam præstandam iureiurando adigendos sentiunt statuuntque. Porrò hunc senatum ex prudentissimis, ac maximè piis tam Ecclesiasticis quam lai-

cis compositum, *Supremi confœderatorum Catholicorum Concilij authoritate*, sicut & nomine, gaudere volunt.

Bellum deinde per duos ferè annos, variâ adeo fortunâ geritur vt Catholici, quanquam rerum omnium ad bellum necessariarum inopiâ ab initio laborarent, sensim tamen viribus, consiliis, & animis creuerint; quo factum est vt Protestantes omnes vbique penè è regni meditullio exactos ad maritimas vrbes redegerint.

CAPVT SECVNDVM.

Ormonia Marchio Prorex in Hibernia à Rege constitutus de pace cum Catholicis fœderatis ineunda satagit. Legati à Catholicis ad Regem missi benignè excipiuntur. Pacis conditiones proponuntur ex Catholicorum voto, vnicâ clausulâ exceptâ, quæ basilicarum, & prædiorum Ecclesiasticorum possessionem spectabat, quam publicè actis inseri temporum ratio vix patiebatur.

REx interim Carolus eius nominis Primus, de Duumviratum cum Angliæ Comitialibus in omnibus rebus consentientium, adeóque Hibernorum Catholicorum à quibus subsidium aliquod sperare Anno 1645.

posset, ruinam meditantium perfidiâ monitus, eos à regiminis clauo amouet, summam rerum in Iacobum Ormoniæ Marchionem nobilissimæ ac amplissimæ Butlerorum familiæ principem. Proregis, vulgò generalis regni præfecti, titulo confert, eique in mandatis dat, vt Catholicos ad pacem secum ineundam quamprimùm moueat, quò vnitis viribus, abactis primò omnibus, quotquot in rebelles Angliæ Comitiales propensi, atque adeò in se perfidi reperirentur, tranquillitas Hiberniæ procuraretur: mox tempestiua ad se subsidia contra eosdem perduelles Anglos maturarentur.

Marchio vt conciliandæ paci viam sterneret, fœdus in annum, seu armorum, vt vocant, inducias offert, quæ acceptantur à Catholicis, ea lege, vt regiones suas singulæ partes interim incolerent, nec extra in alterius partis tractus excurrerent. Mittunt & Catholici non spernendas Regi pecuniæ & cõmeatus suppetias, conuentũque de Legatis Catholicis ad Maiestatẽ pro grauaminum leuamẽto, humili prece impetrando mittendis decernunt. His peractis conueniũt Catholici Vvaterfordiam, consuluntque in commune de petendis à Rege pacis conditionib⁹. Princeps difficultas erat de Religionis negotio, quid scilicet nomine libertatis conscientiæ, (ad quam

defendendam iuramento associationis adstricti essent) intelligendum veniret? num sufficeret obtinere vt liberum Catholicis in posterum esset, Catholicam Romanam fidem vbique palàm, & impunè profiteri, eiusque functiones omnes & singulas vbilibet per vniuersum regnum exercere? num verò vt libera censenda esset religionis hæc professio, etiam Ecclesiarum, ac Ecclesiasticorum prædiorum necessaria esset possessio. Discepratum de re diu; variisque varia sentientibus: cum quæstionis illius solutio operosior videretur, minusque necessaria, vlteriori eius discussioni supersedendum senserunt prudentiores. Mittuntur igitur ad Regem Legati Muskrienſis Vicecomes nobilissimæ ac antiquissimæ Mac-chartæorum familiæ Princeps, vir pluribus titulis, ac præsertim moderationis, prudentiæ, ac pietatis in patriam nomine commendabilis, cui adiunguntur alij quidam inferioris ordinis nobiles, quibus in mandatis datur, vt negotium quidem religionis præ cæteris vrgeant, ac si possint, etiam basilicas, prædiaque Ecclesiastica obtineant: sin minus, cum libertate Catholicæ professionis ac functionis contenti redeant. Cum illis mandatis in Angliam traiiciunt, Oxoniam perueniunt, vbi tum Rex Carolus Londino iam antèà à Comitialibus per

duellibus exactus morabatur. Aduectum Muskrienſem cum ſuis benignè excipit, laudat pacis conſilia, promittit Hibernicam nationem maiori impoſterum curæ ſibi fore; penes ipſos eſſe propediem beatos fieri, totum pendere ex pacis matura concluſione, partiumque conciliatione, quò, qui in Hibernia tum reliqui eſſent, perduellibus ſubacti, promptiores ad ſe ſuppetias tranſmittant. Sibi igitur vnicè cordi eſſe, vt pax quamprimùm ineatur, & quia nonnulla ipſis in Religionis fauorem concedi poſtularent, quæ quidem & ipſe condonare libenter vellet, niſi partis proteſtantis, tum ſibi in Anglia adhærentis inuidiam propterea incurrere metueret, ideò conſultius ſibi viſum eos in Hiberniam remittere, pacem cum Prorege, in quem ſuam ipſe authoritatem eum in finem tranſlaturus eſſet, ſuo nomine concluſuros.

Redirent ergo continuò, popularesque ſuos ad pacem inclinarent: ac quando vnicum religionis negotium obici eſſe poſſet, ſatis in præſens haberent Catholici ipſius ſubditi ea impetrare quæ ſibi concedere, liberum, ipſis obtinere tutum eſſet. Meminiſſent ſolùm ſe non poſſe ſine ipſorum tempeſtiuis auxiliis Angliæ perduelles ſubigere: periturum igitur ſe primùm niſi in tempore ſuccurrant, ac mox

ipsos similitèr in exitium ineuitabile ruituros. Obtulit & Comitis titulum Muskriæi, quem ille modestè recusauit, ne quâ in re publicâ patriæ calamitate in suum commodum vti videretur. Profecti mox Oxoniâ legati, declinatis in itinere variis hæreticorum insidiis, reduces demùm in Hiberniam Concilium adeunt, rationem legationis reddituri, Regia mandata exponunt, plura de re ab Ormonio Prorege mox exspectanda docent. Monet ille paulò post commissum sibi à Rege tractandæ pacis negotium: venirent igitur à Generalibus Catholicarum partium Comitiis legati de pacis conditionibus tractaturi. Mittuntur cum potestate signata sexto Martij anno 1645. Dublinium ad præstitutum à Prorege diem, idem Muskriensis Vicecomes, Nicolaus Plunkettus, & alij, tandémque postquàm itum est, ac reditum multoties, ac vtrimque subinde exortæ sunt variæ difficultates, seriò tractari cœptum XI. Septembris, perdurauitque tractatio vsque ad XI. Nouembris, quo die eò tandem deducta res fuit, vt à iuramento primatûs Regis Angliæ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, Catholici omnes absoluerentur: adigendi imposterum ad sacramentum fidelitatis in temporalibus solùm: eximerentur ab omni noxa, seu inhabilitate ac notâ qua antehàc

Catholicæ religionis nomine impediti, ab omni etiam politico munere excludebantur, admitterenturque imposterùm ad omnia & singula reipublicæ munia, pro singulorum meritis, non secùs ac reliqui subditi, in ciuili regimine susципienda, & exercenda: libertatem etiam conscientiæ, ac religiosarum functionum omnium & singularum, vbilibet per vniuersum regnum liberè & impunè exercendarum haberent cum hac tamen clausula: *ne inde consequès esset, vt Cathedrales ac Parrochiales Ecclesias, annexasque iis capellas sibi concedi præsumerent.* Quod quia sibi minus sufficere assererent legati Catholici, responsum à Prorege, se non posse libertatem conscientiæ publicandis articulis, sine hac clausulâ inferere, id enim magnam haud dubiè sereniſſimo Regi apud Protestantes subditos sibi adhærentes, inuidiam esse conflaturum: superesse igitur sibi (quod ad soluendam præsentem difficultatem spectaret) duo solum præsidia quorum alterum illi eligerent, vt scilicet negotium religionis, aut totum Regiæ maiestatis arbitrio reseruetur, habeaturque pro pacis huius articulo, quidquid ille Catholicis suis subditis Religionis nomine posthac indulgere dignabitur, non secùs ac si iam insertum illud esset, aut si id minus placeret, nulla fieret in publican-

dis pacis articulis expressa religionis mentio, solum leuarentur vniuersim grauamina, quibus hactenus premebantur eo nomine Catholici; securitatem tamen se daturum, quam possit, maximam, permansuros illos in imperturbata ac quietâ Ecclesiarum omnium, ac Ecclesiasticorum, quæ tum tenebant, prædiorum possessione vsque ad libera regni comitia, primo quoque tempore post peractam pacem, exactosque communes hostes habenda, in quibus Catholici futuri essent numero, atque adeo suffragiis superiores, ac proinde si quid huic paci deesse videretur, id sibi in illis comitiis facilè adiudicaturos.

Redeunt cum hoc responso Kilkenniam legati Catholici consulturi cum Concilio, vtrum recipiendæ, an reiiciendæ essent istæ pacis conditiones.

CAPVT TERTIVM.

Nuntius Apostolicus in Hiberniam à Pontifice missus, & à Catholicis honorificentissimè exceptus, pacis consilia disturbare incipit. Multorum è Clero animos ab eâ alieniores facit. In Comitiis tamen cùm vtrimque acriter disceptatum esset, pax ineunda decernitur, consultiusque visum vt artimlus de libertate religionis, silentio præteriretur, sancitisque pactis staretur.

CIrca id tempus Kilkenniam quoque venit Reuerendissimus D. Ioannes Baptista Rinuccinus, qui cum titulo nuntij Apostolici extraordinarij paulò ante in regnum appulerat. Excipitur incredibili omnium ordinum lætitiâ; honoratur à Concilio, quàm fieri potest, maximè, mox ipsi publica audientia in amplissima Kilkenniensis arcis (ea domus Ormoniæ Comitum ampla ac peruetusta) porticu decernitur: ad locum deducitur præeuntibus quibusdam Concilij proceribus, stipantibus Archiepiscopis, Episcopis, magnaque nobilium ac ciuium multitudine sequentibus: Assidet Vice-comiti de Mongaret concilij præsidi, latinam habet ora-

tionem, ac inter cætera, sanctè iurat nihil se contra sereniſſimi Regis commoda moliturum. Quod quidem bonis omnibus auditu gratiſſimum fuit, Nuncium ſcilicet Apoſtolicum tantopere regiam maieſtatem, etiam in alterius communionis principe reuereri. Verum poſt dies paucos cùm ſenatorum animos propenſos in pacem didiciſſet, Reuerendiſſimo viro Francisco Aladenſi Epiſcopo familiariter vtens. *Domini Conſiliarij*, inquit, *pacem breui concluſuri videntur cum Ormonio, quam ſi fecerint, ego regni Epiſcopos mecum abſtrahens, ab eis diſcedam.* Tanta tamen eſt, ſemperque fuit Hibernorum in Apoſtolicam ſedem reuerentia, vt Concilij proceres, etſi Reuerendiſſimi Nuncij animum à pacis conſiliis valdè alienatum ſuſpicarentur, proprio tamen motu, iiſdem ipſis diebus decreuerint, nihil ſe quod alicuius eſſet momenti, in rebus pacis, aut belli inconſulto illo eſſe facturos: quod vtinam tam benè ceſſiſſet, quàm in ſedem Apoſtolicam ſincerè ac reuerenter ſtatutum ab ipſis fuit adhærere. Cæterum cùm animaduerterent homines candidi pacis negotium maioris eſſe ponderis, quàm quod ab ipſis ſolis, (reluctantibus præſertim Nuncio, & quibuſdam aliis è Clero) geri poſſet; quò ſanctiùs omnia & firmiùs peragerentur, conuocant generalem Regni

Conuentum in Kalendas Ianuarias proximè futuras, in quo de protrahendo bello, aut pace concludenda Catholicorum vniuersi regni suffragiis decerneretur.

Non prætereundum hîc, venisse etiam in Hiberniam circa initium anni 1645. Edoüardum Comitem Glanmorganum à Rege, vt dicebat, missum, quò priuatim Majestatis nomine gratias illas Hiberniæ Catholicis faceret, quas publicè Proregem indulgere minùs expediret. Conuentum igitur inter ipsum, & quosdam Concilij proceres ad id deputatos, transactumque secretò, vt quibusdam sub conditionibus, & præsertim mittendarum quàm primùm in regis subsidium copiarum, expressis pactis Ecclesiæ omnes, ac Ecclesiastica prædia, quæ iam possidebant, penes Catholicos manerent. Hæc pro arcanis aliquandiù habita, cùm fortè eorum exemplar circa se gerens ad bellum proficisceretur Malachias Archiepiscopus Tuamensis, cæditur à Scotis iuxta Sleghaum, mense Decembri eiusdem anni, sicque detegitur Glanmorgani negotium, adeôque in Proregis notitiam restota defertur. Verùm Georgius Baro Digbæus, qui paulò antè Dublinium venerat, facultatem hanc nunquâ à Rege, Glanmorgano concessam protestatur; id enim se inscio, qui Regi à secretis tùm esset, cum potestas hæc demandata

mandata esse diceretur, emanare non potuisse: fictam igitur esse, & adulterinam, ac in magnum Regis detrimentum, nisi occurratur, futurum. Efflagitat itaque à Prorege, vt Glanmorganus quàm primum capiatur, strictéque de re tota examinetur. Hæc ignorans Glanmorganus Dublinium venit, capitur, interrogatur, rem à se peractam fatetur, ac paulò pòst cùm captiuus propterea detineretur, aliud instrumentum eorumdem procerũ, quibuscum transacta res fuerat, manibus vt asserebat subscriptũ producit, quo illi declarant se conditionum à Comite Regio nomine propositarum fide, & exactione, ne quid detrimenti scilicet eo nomine Regia causa caperet, supersedere: quo ostenso statim liber dimittitur Glanmorganus, eâ solum lege vt si quando vocatus fuerit, Regi se facti rationem redditurus sistat. Interim conueniunt ad statum diem Regni pares Prouinciarumque procuratores; sedent, 1646.
conferunt, disceptatur maximè de basilicarum negotio, de quo sententiæ omnes bifariàm diuisæ, cùm laici satis esse dicerent temporalium grauaminum leuamentum adeò grande, vt indigenarum nemo à quouis reipublicæ munere, aut magistratu obeundo ob Catholicum nomen excludendus in posterum sit, qualem antehàc omninò nullum obire poterant,

cuiuscumque tandem nationis essent, homines Catholici. Hinc enim consectarium fore, vt res Catholica sensim invalescat; optimates siquidem plerosque hactenus ob persecutionis metum Religionem Catholicam tantoperè agitatam profiteri non ausos, datâ dehinc impunitate, & patente ad honores, & opes Catholicis perinde ac protestantibus aditu, eam haud dubiè amplexuros; maxime vbi nihil inde detrimenti in fortunis aut famâ capere poterunt: hinc Clero patrocinium, vulgo clientelam, authoritatem omnibus, atque adeò Religioni incrementum propediem adfuturum. Nec spernendum addebatur, quod Prorex postremo responso dixerat, si nimirum quæ ipse offerret, Catholicis sub aditis minùs sufficere viderentur, sibi probari quod tota huius de basilicis negotij decisio ad ipsius Regis arbitrium deferatur, interim penes Catholicos mansuras quas modò possident, mittendisque per fœderatos suppetiis Regem ipsis deuinctum fore, adeóque in præsenti possessione Catholicos firmaturum, seque pro concludendæ mox pacis articulo habiturum quidquid à Regiâ maiestate Catholicis subditis in Religionis suæ fauorem posthac concederetur.

Clerus ex aduerso omne pacis consilium, nisi concessis tam basilicis, quàm prædiis

Ecclesiasticis reprobandum sentiebat: res suas meliori iam loco, quam antehac, nullam flagitare tam iniquis conditionibus pacem: vrgendum Proregem, fines eius, captis quibusdam munitionibus, arctandos, tùm fortè postulata omnia concessurum. Firmius hæc, atque ardentius solito à Clero, eiusque fautoribus proposita præsentem Reuerendissimi Nuntij operam & inspirationem indicabant. Certum est vestigasse illum modis omnibus ex quo in regnum appulit, plutium tum Ecclesiasticorum tum laicorum sensa animorumque propensionem perspexisse: quâ ex indagatione compertum habuit primoribus ac prudentioribus nihil magis ex voto accidere posse, quàm pacem cum regiarum partium hominibus inire, quò exactis coniunctim Comitialibus tam Regi quàm regno ac Religioni infestis, Nationis ac Religionis incolumitati prospiceretur, Regique laboranti opportunè subueniretur. Clero autem quoduis bellum acceptius esse, eâ pace qua de bonis Ecclesiasticis tam retinendis quam sibi reddendis prouisum non foret; egentissimos quosque & alieno ære obstrictos, etiam è nobilibus pleroſque quorum in quieta republica fides ac fortuna multum laboraret, sub Religionis Pallio cleri votis accedere. Cæterum vulgus Religiosum magis quàm prò-

uidum, ac prudens, Cleri quoque motus ſecuturum, adeóque facile eſſe pacis conſilio etiam inuitis optimatibus intercedere; quod & tùm, ni fortè prius, eum ſtatuiſſe, pluribus poſtea argumentis innotuit, ſiquidem nihil non præſtitit quò pacis conſilium primùm occultis, mox apertis molitionibus interturbaret. Diſputatur interim in Comitiis, ab optimis quibuſque pro pace, ac eò quidem fœliciori, vt ſperabatur, ſucceſſu, quo de temporalibus quæ offerebantur à Rege, conditionibus, vel modica, vel potius nulla decidenda ſupererat controuerſia. Dabatur vltrò libertas profitendæ Religionis Catholicæ, eiuſque functionum palàm, & vbiuis exercendarum copia, cum clauſulâ quidem reſtringente ſuperius poſita; qua & ſi Cathedrales & Parrochiales excipi videbantur, fiebat tamen vt cuiuſvis ordinis Monaſteria, cùm non exciperentur, Catholicis reliqua eſſent: quibus ſi addantur concluſorum cum Comite Glanmorgano articulorum conditiones, (quas ſemper valere, ac ſi bonâ fide peracta res eſſet, etiam Clerus volebat) ac ſecuritas occulta de retinendis quas iam habebant Eccleſiis, quid amplius pro tempore deſiderari poſſet, à Rege non Catholicis modò, ſed & proteſtantibs hominibus debitore? addebatur & ſummo Pontifici (cuius ar-

bitrij & nutûs rationem, vt par est, se habere omnes profitebantur) acceptam fore huiusce modi pacem; quippe iuxta cuius placitum, vel sic fieri deberet. Etenim Richardus Belingus vir nobilis, & cordatus, Romam anno 1644. Concilij missu profectus cùm 27. Februarij anni sequentis 1645. ad suæ Sanctitatis audientiam admissus esset, retulit ab ipsâ se interrogatum in hæc verba. *Quomodo*, inquit Pontifex, *erga fœderatos afficitur serenissima Magna Britannia Regina? Quantum colligere possum*, Respondit Belingus, *benè vult sua maiestas Catholica causæ; quippe qua ad Catholicum Concilium honorificas litteras nuper dederit, quarum superscriptio erat, ad supremum Concilium fœderatorum Hiberniæ Catholicorum.* Tum Pontifex, *Non mirum*, inquit; *si Rex vester quas petitis conditiones, palam concedere, minùs tutum rebus suis iudicat, ne pars ipsi hactenus in Anglia adhærens: eam ob causam ab ipso deficiat. Vnde & eius Conniuentia vobis in præsentiarum sufficere debet.* Quorum Pontificis verborum occasione, cum qui aderat, Pater Lucas Vvadingus sue Sanctitati exposuisset fœderatos Catholicos armorum inducias in mensem Maium tum proximè futurum cum regiarum partium protestantibus concluisse: factum approbauit sua Sanctitas. Addebatur huius colloquij testem omni exceptio-

ne maiorem esse eumdem P. Vvadingum, adeóque non ex summi Pontificis sententiâ esse, id à Rege palam extorquere quod citra rerum suarum euidens periculum in præsens nequeat concedere. Acceptanda esse itaque quæ offerret, & plura quæ suo tempore spes esset eum esse collaturum, interim exspectanda, potiùs quam rebus eius præiudicandum, aut Deum ipsum nimio temporalium etiam Ecclesiæ bonorum voto, tentandum.

Hæc & his similia Proceres offerre, vrgere conclusionem pacis; suppetiarum missionem maturare: Cheistriam vrbem maritimam in Angliâ contra Hiberniam haud longo tractu sitam Regio præsidio munitam à comitialibus copiis oppugnari, premi, breuique, nisi feratur subsidium, irreparabili regiarum partium damno dedendam: regias vires quotidiè plurimum imminui, hostiles in dies crescere: si Rex succumbat, nationem Anglicam domestica distractione liberatam, populosam, opulentam, bellicosam, equis, armis, nauibus, omnibus omninò rebus belio necessariis ac præsertim pecuniâ, quæ belli neruus est, præpotentem, non vnum, sed plures, si opus fuerit, eosque numerosos exercitus in Hiberniam effusuram, totamque reliquam nationem paucorum mensiũ spatio eò facilius, quò lati patens,

vbique aditus exhausturam : militantem Ecclesiam, cuius conseruationi & augmento tam studiosè prospectum quidam velle videntur, non immortalium spirituum, sed mortalium hominum conuentum esse, quibus proinde infensissimorum hostium violentiâ è medio sublatis, illam esse necessariò ruituram. Perituros autem haud dubiè Hiberniæ Catholicos ad vnum omnes, aut imbecillitate humanæ naturæ, tormentorum metu vel acerbitate fidem eiuraturos, si Rex in Angliâ aut pereat, aut deficiat. Interesse igitur totius Nationis vnà & Religionis incolumitatis, ac prosperitatis Regiæ Maiestatis. Non posse autem Regem subsistere nisi missis ad se ex Hibernia fidis suppetiis, quibus & ipse seruetur à casu, & ab Hibernia auertatur hostis, domesticis procellis distentus. At neque auxilia mitti posse, nec Regi succurri, nisi Regiis hic, & Catholicis interuentu pacis, in vnum corpus coalescentibus, sufficiant vires tàm subigendis domesticis hostibus omnes penè regni angulos occupantibus, quàm regiis partibus in Anglià firmandis : vix autem vtrique negotio etiam vnitis viribus suffecturos. Nimis igitur antè hac tardis peccatum esse consultis : iam tandem præcisâ omni cunctatione, cùm non de Religione, sed solùm de quibusdam Cleri proven-

tibus agatur, qua natio simul ac in ea Religio ab excidio salta maneat, ac tecta, pacem esse concludendam. Ita orabant laici proceres. Sed Cleri ipsique adhærentium quorumdam etiam nobilium, eorum maximè, quorum fortunæ conturbatæ, longè alia erant vota, ac sententiæ.

Quibus non obstantibus etsi operosè, potioris tamen, numerosioriſque Comitiorum partis suffragia ad pacis conclusionem numerabantur, cum ecce Reuerendissimus Nuntius in Senatum venit, pluribusque orat, ne pacem præcipitarent cum Ormonio conditionibus Ecclesiæ, vt aiebat, minus decoris, sanctè iurans *in verbo Principis* (hæc enim eius dictio à plerisque notata est) iam Romæ inter summum Pontificem, & Sereniſſimam magnæ Britanniæ Reginam per procuratorem, seu, vt locutus est, agentem, ipso etiam Rege consentiente, de pace esse conuentum Religioni Catholicæ adeo honorificâ, ac vtili, vt pactis conditionibus Ecclesias omnes pleno cum splendore per vniuersum regnum Catholicus Clerus recepturus sit. Protelarentigitur pacis cum Prorege inundæ conclusionem, quando alia longè honestior, ac melior propediem Româ exspectaretur. Dixit & alia complura quibus omnia pacis consilia interturbare conatus est Sed vix quidquam

suasit.

suasit prudentioribus qui res suas meliùs nouerant. Enimuerò Montgarettus etsi grandæuus, firmis tamen lateribus contra pacis interceſſores, tacitis eorum nominibus, satis prolixè orauit, orauerunt & alij adeò fœliciter, vt breuî pòst decretum fuerit pacem cum Ormonio, oblatis ab ipso Regis nomine, pactis, concludere. Sed controuersum aliquandiu an expediret articulum de libertate conscientiæ silentio præterire, & Glanmorgani pactis, tacitáque quæ de retinendis Ecclesiis ab Ormonio insuper offerebatur, securitate niti; quæ quidem eò firmior ac tutior futura erat, quò nec arma ipsi Catholici ponere, nec vrbes, aut propugnacula, quæ possidebant, dedere, nec regimen ipsum totum & absolutum Proregi tradere, sed eâ solum lege, vt nihil is, nisi consultis & consentientibus selectis quibusdam Catholicis proceribus quos ipsa Catholica comitia nominarent, etiam per publicandos pacis articulos decernere posset? an verò Religionis libertatem, cum clausulâ tamen restringente vt concedebatur, per vniuersum regnum publicare satius esset? Prælati, qui tum aderant, tutius esse senserunt priuata securitate niti, quàm clausulam admittere, qua vlteriore quàm sperabant Regiæ Maiestatis gratia excluderentur. Sunt qui asserant hoc con-

silium ab Emero Clogherensi Episcopo, Reuerendissimo Firmano in paucis addicto, præ cæteris, manasse, in speciem, ne quid contineret publicandum pacis instrumentum, quod Regi apud Protestantem partem, inuidiam conciliaret; sed reipsâ, vt pacis cuius tùm conclusioni nec Reuerendissimus Nuntius, nec ipse intercedere valebat, mox per populi tumultum reiiciendæ occasio quædam, & velut ansa relinqueretur. Vt vt sit, ita tum concludenda cum Prorege communibus comitiorum generalium suffragiis, consentientibus etiam Catholicis, qui omnes penè aderant, regni prælatis, pax conditionibus iam sæpius commemoratis decreta est, vt eius publicatio à bonis omnibus propè diem exspectaretur.

CAPVT QVARTVM.

Reuerendissimus Nuntius cùm pacis confirmationem impedire non potuisset, fictitia alterius pacis spe Catholicis longè honorificentioris inter Pontificem, & Regem non concludendæ, eius publicationem differri impetrat. Eoque spatio elapso iam publicatam Cleri opera disrumpit.

VErum interuenit iterum Reuerendissimus Nuntius, non quasi iam facto de concludenda pace decreto reclamaturus, sed eius præsenti publicationi moram interpositurus; quod vt fieret, quibus obtinuerit viis, nolim mihi credas, Alithophile, sed ipsum audi per eas quæ hîc tibi subiiciuntur, Propositiones Latinè scriptas ac traditas vniuersi regni Catholico conuentui loquentem.

Propositiones à R^mo Domino Nuntio generalibus regni Comitiis pro dissuadendâ Pacis publicatione, anno Domini 1646. traditæ.

1. *Quod pax tractata non erat honesta, eò quod conditiones Ecclesiastica debebant ac-*

cultari: Item nec secura, quia Dominus de Glanmorgan non potest dare aliam securitatem, quàm voluntatem Regis, & ideo confirmatio concessionum committebatur futuris, & incertis euentibus, nempe transmissioni militum: At in pace Pontificia adest honestas obrationem personæ tractantis, & ob publicitatem articulorum, & adest securitas, quia ill. mus trat Princeps maximus & cum mutuâ compensatione pecuniæ.

2. *Quia capitula sunt vberiora;* [illegible] *in primo adest omnimoda restitutio publici exercitij, & Ecclesiarum, tam Cathedralium quam Parrochialium cum suis bonis:* [illegible] *de cæteris Monasteriis, habeo ego facultatem illa relaxandi quibuscumque, qui illa à me petierint. In reliquis adest communicatio omnium officiorum, & magistratuum Catholicis, retentio fortalitiorum, & Parlamentum independens, & authoritas mihi data addendi, & minuendi.*

3. *Quia est vtilissima Regi propter auxilia subministranda etiam menstrua; & vtilis Anglis Catholicis propter exercitium Religionis, & ideo quisque Catholicus, & Regi fidelis debet illam amplecti.*

Manmorganū intelligit.

4. *Quia est vtilis Domino * Comiti, & nihil ei deperit, quia nihilominus erit Generalis in transmittendis auxiliis: quia licet capitula loquantur de Generali Hiberno, ego delebo, & ponam* [illegible] *Comitis. Insuper is-*

beratur à sollicitudine procurandæ securitatis, cùm eam in summum Pontificem refundat, & quod maius est, a suspicione apud omnes principes, quod ipse vanitate sua curauerit reiici pacem Pontificiam.

5. *Quia non potest esse nisi Grata Dublinienſibus, & Domino Marchioni, eo quod Dominus Digbœus per Dominum Laborum interrogauit me an Pontifex daret subsidia Regi; nam promittebat concessionem Religionis in Anglia, & ideo non potest nisi cum gaudio audire quod iam factum sit per illam pacem.*

6. *Dato assensu huic paci cum parua hac dilatione restabit bellum cum Parlamentariis: quod si benè disponatur, speramus fœliciter euenturum, & ego in auxilium habeo quatuor Fregattas, quæ possint contungi cum aliis huius regni; habeo arma ad armandum quatuor millia; habeo tantam pecuniam vt possim assumere in meos onus belli in aliqua Prouincia, & si possim nuntiare grata summo Pontifici, habeo etiam spem certam vberioris auxilij hoc anno, quæ est potissima causa, cur ego tam feruenter exoptem non fieri vllam iniuriam summo Pontifici per pacis ipsius reiectionem, ne auertatur à regno, & prater negationem auxilij, maiora etiam indignantis animi sensa depromat.*

Non obstat quod circumfertur quod Dominus Marchio nolit concedere inducias,

erunt partes meæ assecurare Lageniam, ne vllos eius patiatur insultus. Quod sine pace milites nolunt ire ad iuuandam Cheſtriam, non est quod credatur, quia non est verisimile Regem qui indiget illis, illos malè tractare.

Glanmorganus *Item quia Dominus * Comes, qui ea cupit, liberat comitia ab hac solicitudine.*

Et hæc sint dicta dato quod ventus & mare iuxta solitum impediant litteras: nam potest esse quod Orator Reginæ, vel meæ litera adsint hic propediem. Et quod Rex habeat nunc notitiam rei, & miserit beneplacitum, in quo omnis noſtra sollicitudo requieſceret. Ergo in manu comitiorum est vel damnum ineuitabile sibi parare reijciendo pacem ſuæ Sanctitatis, auertendo illam à ſe, à Rege & ab Angliâ, vel ſalutem perpetuam aſſentiendo Patri ſanctiſsimo, adiuuando Regem in pignorando ſedem Apoſtolicam, & conciliando ſibi omnes principes. Quod Deus concedat. Hactenus ille.

Poterant hæc ſilentio præteriri, Alithophile, propter Reuerentiam quæ ſummo Pontifici etiam in ſuis Miniſtris quamuis ab æquitatis tramite deflectentibus debetur, niſi ad ea tibi reuelanda coëgiſſet calumniator, quæ cùm vaniſſima & ſolùm in tempus pro interturbanda pace conficta eſſe conſtet, in Reuerendiſſimi N. dedecus cedere oportet. Sed maiora ac omnino magis miranda dicamus. Etenim

scriptum hoc, etsi reipsa, nihil verum, sed falsa potius omnia continere, suspicarentur non solum oculatiores, sed & omnes penè etiam minus cordati perspectum haberent, tantum tamen valuit, vt publicandæ pacis moram ab Hibernicis obtinuerit animis, Pontificiæ etiam vmbræ eatenus cultoribus: Sicque pacis publicatio in maium proximum ita dilata, vt tamen ipsa pax firma ac rata ab omnibus crederetur.

Id malè habuit Reuerendissimum Firmanum, qui ne tùm quidem publicandam, nec omninò concluſam credi volebat: Vnde & cuidam Theologo sibi, quod in pacem consensisset, adgratulanti, quæ sequuntur rescripsit.

De Pace Glanmorgana nihil adhuc est actum, neque vsque ad mensem Maium concludi poterit: vt interim, si possit, pinguioribus conditionibus, quæ à Româ exspectantur, locus fiat, &c. Epistolam hanc propria ipsius manu subscriptam penes me habeo.

Rebus ità dispositis, potiùs, quàm compositis copiæ Catholicæ in subsidium Cheſtriæ Vvaterfordiam mittuntur, vbi paratas pro eorum traiectione naues, & commeatum fore Glanmorganus promiserat. Tùm Reuerendissimus Nuntius maiora cum Clogherensi aliisque clàm agi-

tat, mox in lucem eruptura. Porrò deficientibus nauibus aliisque omnibus à Glanmorgano promissis, copiæ Catholicæ aliò destinantur, & Chestria paulò pòst Comitialibus deditur magno Regis damno.

Æstate insecutâ anni videlicet 1646. satis fœliciter vbique à Catholicis belligeratum: nam & Roscomanum per Prestonium, & Bonratum per Musktriensem magni momenti propugnacula ab hostibus recepta sunt, & Eugenius Oneillius Scotorum exercitum fines Catholicos inuadere paratum prorsus cecîdit ac dissipauit. Sed arcanorum Reuerendissimi Nuntij conscius & suffragator palantibus hostibus & vbiuis animo adeò consternatis vt facili negotio totam Prouinciam recuperare posset, insistere neglexit, ne nimirum in proscribenda mox pace eius opera desideraretur.

Mense Iulio postremo cum *pinguiores* interim nullæ afferrentur è Roma *conditiones*, constaretque nihil tale ibi fuisse agitatum, publicatur pax, iisdem (de quibus superiùs conuentum diximus) pactis: Primùm Dublinij maxima cum celebritate, ac pompa, mox Kilkenniæ, ea sedes Concilij ordinaria, vbique sanè magnâ bonorum lætitiâ; sed Reuerendissimus Nuntius qui publicandam tandem aliquandò

præuidebat, elapso scilicet, quod obtinuerat, suspendendæ publicationis spatio, eius reclamationi tempestiuè prouidit. Conuocauerat enim Catholicum vniuersi regni Clerum Vvaterfordiam specie visitationis Apostolicæ instituendæ, mox Nationalis Concilij celebrandi proposito, vt dicebat. Verum vbi conuentum, nihil aliud quam de respuenda pace actum est: reiicitur itaque eo præsertim nomine quòd eâ non latis Religionis libertati, nec Ecclesiæ splendori prospectum diceretur, interdiciturque fœderatis vniuersis sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ eius receptione & obedientia, eæque censuræ tam Latinè quam vernaculè imprimuntur, & vbique publicantur. Extat decretum illud duodecimo Augusti Vvaterfordiæ editum, ac ita prætextu Religionis reclamatur paci, quæ si recepta fuisset & seruata Religionem conseruasset, & Regem, & Nationem.

Prorex tamen sperans in præsentiâ res omnes amicè compositum iri, quippe qui nihil quod Clero pro securitate sufficere posset, denegare statuerat, cum paucis copiis tanquam ad amicos Kilkenniam venit, vbi & honorificè primùm excipitur, illinc quosdam legat ad Clerum, qui suo nomine quidquid haberet charissimum, etiam vxorem suam & liberos obsides se-

curitatis conuentorum omnium, & nominatim quietæ possessionis Basilicarum quas tenebat, offerrent. Sed Reuerendissimus Nuntius pecuniæ summam à D. Iacobo de la Torres Catholici Regis actore tum in Hibernia residente mutuatus Catholicos exercitus qua censurarum interminatione, quà largitionis illecebrâ in suas partes attrahit. Eugenium cum suo exercitu à persequendis Scotorum reliquiis Kilkenniam versùs mouere iubet: Prestonium ex Conaciâ reuocat, rebusque ità dispositis conciliationi partium in quam non nihil anteà inclinare videbatur, prorsus renunciat, satagitque vt per Eugenium Proregis regressus Dublinium versus intercipiatur, quod subolfaciens ille maturo reditu Eugenij vigilantiam præuenit.

CAPVT QVINTVM.

Pace proscripta Reuerendißimus Nuntius præcipuos è Catholicis proceribus in carcerem coniici curat. Nouum Concilium componit, cuius ipse princeps eligitur. Catholicos exercitus aduersus Proregem mouere iubet. Cumque res malè, cessisset pacem cum Prorege rursùm componit, rursúmque rescindit inducias item iam pactas interturbat. Seditiosi aduersus Vicecomitem Muskrienſem motus, qui ab eo non minus prudenter quàm generosè compositi.

HIs ita peractis, ac pace vbique proscripta, Nuntius Vvaterfordiâ profectus mense Augusto postremo Kilkenniam venit, eóque vocatis vniuersis Catholicis viribus, Duces ad consultandum de agendis aduocat; vtque principatum quem sibi statuere parabat, firmiorem faceret, Muskrienſem aliosque quotquot obuios habuit, supremi Concilij proceres tâquam Religionis & patriæ proditores capi, & in Kilkennienſem arcem coniici curat: tum nouum Concilium ex personis sibi deuotißimis componit, cuius & ipse à suis princeps eligitur, atque ita vsurpato

reipublicæ clauo exercitus omnes quibus vnitis Momonienſes Comitiales viciniores, & iniquiores potuiſſent expugnari, in Proregem mouere iubet: mox ipſe ſtatutis pro libito Kilkenniæ rebus, cum Eccleſiaſtica congregatione cuius tùm nutu omnia regebantur, ad exercitum ſacerdos ſacerdotibus ſtipatus pergit, diuerſis itineribus ad quartum ab vrbe lapidem copiæ perueniunt, vbi caſtra metantur, nec audent propiùs accedere Duces gnari non deeſſe Proregi vires ad vrbem defendendam validiſſimas, ac inter cæteros plures ipſi adeſſe Catholicos, qui reclamatæ pacis, fractique fœderis violatione perculſi ibi pugnare indignum putabant, vbi tam infirma eſſet ac fluxa pactorum fides. Vt præuiderat obſidionem Prorex, ita & prouiderat vt obſidentium exercitus comeatus inopiâ maturè laborarent, regiones circa vrbem prius latè depopulando, quàm fœderatæ vires acceſſerunt. Nec ſatis alacriter parebatur nouo & violento Magiſtratui, vt alimenta pro ſuſtentando exercitu à remotioribus partibus afferrentur, imperanti, & ſi id præcipiebatur iterata ſæpius interminatione cenſurarum quarum eo Reuerendiſſimi Nuntij regno tantus increbuit vſus, ſeu vt verius dicatur abuſus & profanatio, vt nullum eſſet negotium adeò abiectum & vile, ad quod

peragendum non impenderetur excõmunicationis comminatio, quod vel ex vnica hac intentatæ à Reuerendissimo Nuncio censuræ forma facilè colligas, Alithophile.

Ioannes Baptista Rinuccinus Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Archiepiscopus & Princeps Firmanus, ac in Hibernia Regno Nuntius Apostolicus extraordinarius. Tibi Iacobo Guogh salutem. Tenore præsentium præcipimus ac mandamus ad instantiam & petitionem Domini Ludouici Gedeon Capitanei Fregatæ sancti Petri, & sociorum militum, & nautarum, quatenus infra totam diem sequentem Lunæ quæ erit 17. currentis mensis Augusti debeas reddere computa fidelia, & realia cum effectu, & sine mora, de omnibus pecuniis & rebus spectantibus ad ipsos & alios pro præda capta à dicta Fregata, ad effectum: quod statim ipse supradictus Capitaneus, & alij interesse habentes, debitam & iustam habeant satisfactionem pro integra illorum quorumcunque parte, & hoc sub pœna excommunicationis nobis reseruata de facto incurrendæ, si per te, & ex parte, vel defectu tuo, totum id non perficiatur non obstantibus quibuscunque &c. in quorum fidem &c. Datum Vvaterfordiæ die 15. Augusti anno 1646.

Ioannes Baptista Archiepiscopus Firmanus Nuncius Apostolicus.

Fregata hæc cui sancti Petri

Petri nomen, ipsius Reuerendissimi Nuncij propria erat, qua Pyraticam Duce illo Ludouico Gedeon in maritimis Hiberniæ oris & vbiuis alibi contra Anglos exercebat, quò magis mirum quibusdam visum quod censuras emanaret in re sua eaque tali quam Prætor Vrbanus aliive legitimi iudices in eius fauorem, si iusta esset eius causa, sine litis pendentia decidissent. Originale censuræ, (quod ipse legi) secum in Galliã abstulit Talonius à Christianissimo Rege paulò ante missus in Hiberniã; sed obiter hæc & ex occasione iam, id institutum: Accedebat ad cumulum miseriarum fœderatorum exercituum qui apud quartum à Dublinio lapidem castra posuerant, insolens in Hibernia anticipatæ hyemis rigor, mox imbres continui, ac frigidissimi, quibus milites in stationibus nocte vna quandoque viginti, nonnunquam triginta emoriebantur, reliqui turmatim dilabebantur; vnde breui secuta est copiarum magna diminutio, quibus perspectis Reuerendissimus Nuncius Prestonio mandat, vt fœdus cum Prorege renouet, obtentis tamen quibusdam expressioribus conditionibus in fauorem Ecclesiæ, quarum sequester ac fideiussor accessit Vlticus Clanricardiæ Marchio. Concluſa res mutuáque, vt aiunt, signaturâ firmata, & iureiurando insuper, vt vi-

debatur, inuiolabili interueniente solidata fuit, quò factum vt Reuerendissimus Dominus Kilkenniam quasi compositis rebus, si non triumphans in speciem, saltem ouans regressus Hiberniæ Primates, ac eos inter Vicecomitem Muskrienſem quos antea in custodiam tradiderat, honorificè exceptos libertate donauit. Sed non diu post id ipsum pactum quod in castris faciendum curauerat iam remotus à periculo contraria declaratione ab eodem Duce expressa rescidit, asserens nihil posse certi de regni tranquillitate sine generalis conuentus authoritate statui. Conuocantur igitur in Kal. Ianuarias anni 1647. Generalia Catholicorum comitia, conueniunt 1647
statо tempore, sedent, ingreditur Nuncius, orat ex editiore loco, asseritque se Religionis ac Reipublicæ necessitate ad capessendas ad tempus primas regiminis partes compulsum fuisse, quibus se iam vltrò abdicat, tum comitia plurimùm hortatus ad strenuè pro sancta Religione dimicandum, recedit. In iis Comitiis duo fieri curat, secum inuicem, vt videtur, omninò pugnantia; nam qui pacem concluserant, edito comitiorum decreto declarati sunt innocentes, nihilque in totâ illâ suâ legatione, aut functione à superioris Generalis Conuentus præscripto deuiasse, & approbata nihilominus pacis

proscriptio à Reuerendissimo Nuncio, & Clero facta. Verum vt hæc non mireris, Alithophile, vtriusque causam paucis accipe. Pacis legati declarati sunt castè suo illo munere perfuncti, quia ita se gessisse in re tractandâ & concludendâ superiorum Comitiorum factâ sibi potestate euidentissimè demonstrarunt, & pacis reclamatio approbata & confirmata est, ab iis comitiis quorum membra omnia, quotquot non iure sed electione aderant, non nisi cum præiudicio respuēdæ pacis, etiam iurati aduenerant: tales namque soli vt adessent, per fratres vbique in ea re solertissimos obtinuerat Reuerendiss. Nuntius.

Crescunt interea in Momonia Prouincia Comitialium vires, pluresque adiacentes sibi Catholicorum regiones diuexant, necnon Ecclesias pleraſque antehac à Catholicis possessas inuadunt, prophanant, ac magnos eorumdem Catholicorum tractus sub tributo ponunt. Consulitur in comitiis de Ducibus, Catholicis copiis in proximam æstatem præficiendis; & quia Prestonius in pacem videbatur aliquanto propensior, per Reuerendissimi Domini partem exauthorandus censetur: moxque res tentatur, sed irrito conatu bonis omnibus tantæ violentiæ maturè ac validè repugnantibus, ac nisi Fernensis qui libellum accusationum contra Prestonium

nium porrexerat, cito destitisset cœptis, libellumque è vestigio repetitum à Præloquutore suppressisset, ad gladios & pugiones in ipso senatu ventum fuisset.

Præter Vltonienses vires, quibus iampridem præpositus fuerat Eugenius Oneillius, adduntur eius imperio & Conacenses De Momonieusium præfecturâ agitur, proponitur à Clero Glanmorganus Comes, qui (quod mireris) superiori anno in Nuntij paci reclamantis partem palàm transierat, & qui pacem inter partes Catholicam & Regiam conciliaturus à Rege missus venerat, pacis turbinibus accessit, sed leuior homo, ac infirmior quàm cui res tanta committi debuisset; intercedunt eius electioni Musxrienses aliique, quibus probè cognitus erat, indigenam præfici indigenis copiis flagitantes: disceptatur de re diu, sed prævalet demum Nuncij pars, ac præficitur Momoniæ Prouinciæ viribus Glanmorganus. Displicet id nobilibus aliisque melioris notæ Prouinciæ illius incolis, quò factum vt non nisi exiguæ in eâ Prouinciâ coierint copiæ, hoste interim magnos vbique progressus faciente. Id animaduertens Concilium, quanquam cœtus esset hominum maximà ex parte, Nuncio deuotissimorum, quò regni tamen imminenti ruinæ occurrat, statuit renouandum esse fœdus,

seu nouas inducias cum Prorege ineundas, vt ita vires quæ Prestonio in Lageniâ parebant, in Momoniam aduersus Comitiales transferrentur. Consentit in inducias Prorex, & mittebatur ad ipsum instrumentum à Concilio signatum. Sicque negotium vtrinque penè perfectum erat, cùm ecce Reuerendissimus Nuncius intercedit, latorem, dum Kilkennia transit primùm moratus, nec vlterius ad Proregem pergere passus, mox ad Concilium regredi compellit.

Attoniti hoc ausu Concilij Proceres conuocant vniuersos regni Prælatos consulturi cum ipsis, num perpenso præsenti cruento Prouinciæ illius adeóque totius Reipublicæ statu, expediret inducias cum Prorege facere, quò vires aduersùs eum destinatæ possent in illius Prouinciæ subsidium acciri; sed Reuerendissimus Dominus qui nullum omnino cum Ormonio conditionibus quantumlibet optimis commercium Catholicos habere volebat, ratus hanc toties iteratam, totiesque interruptam cum eo fœderationem à Mussrienſi præ cæteris subinde manare, statuit eum per amicorum latera petere, ac perdere. Rem tentat per quosdam Glanmorganiani exercitus Duces, quos ministerio quorumdam regularium in illorum nobilium ruinam conspirare ac con-

iurare facit. Muskrienſis qui tum fortè aberat de re tota per amicos monetur, ſimul accerſitur à concilio, paret ille, etſi diſſuadentibus neceſſariis, aduehitur raptim Clonmelliam, vbi tum ſedebat Concilium, ſenatum ingreditur, docent Proceres flagrare ſeditionibus exercitum, Rogantque quid ſentiat; paucis ille, puniendos ſentit ſeditionis authores. Reſpondetur à Senatoribus id quidem expedire, at non poſſe impræſentiarum fieri. Inter hæc adſunt coniurati Duces qui minaci ſtrepitu aduerſus perduelles Muskrienſis amicos iuſtitiam efflagitant, ac præſertim ne ipſe, vtpotè reorum fautor, ac Patronus, dum cauſa hæc euentilatur, aſſideat, imperant magis, quàm rogant. Exit ad hæc è ſenatu Vicecomes, ac mox conſcenſo equo quaſi liberiore aëre fruiturus, ciuitate egreſſus ad exercitum illum volat, quo ad eum perdendum vti volebant inimici, eumque intra vnius horæ ſpatium, expulſo illinc Glanmorgano, ſibi vindicat. Poſtridiè Clonmelliam contendit milite ſtipatus, vbi diſſipatis ſine vllâ ſanguinis effuſione inimicorum molitionibus, ſeditionem componit vir mitiſſimus, Patriæque tranquillitatis amantiſſimus, cuius charitate priuatis hoſtibus quos perdere tum facilè poterat, ignoſcere maluit.

CAPVT SEXTVM.

Cùm Rex in perduellium potestatem venisset, Ormonius eius iussu, & extremâ necessitate compulsus, Dublinium, aliasque vrbes quas vltrà retinere non poterat, Comitialibus tradit. Et primùm in Angliam, deinde in Galliam nauigat. Id Nuncio, eiusque assecla gratissimum, quod tamen Catholicorum rebus summoperè exitiosum fuit, quorum duo exercitus ab hostibus caduntur.

MOnitus interim de omnibus Prorex, acceptisque aliunde à Rege mandatis quibus Dublinium aliasque quas tenebat vrbes, si diutius retinere non posset, Comitialibus tradere iubebatur, multum hoc nuncio, ac præsentibus Regis angustiis cruciatur. Carolus enim etsi Regum (si Religionem eius excipias) optimus, infœliciſſimus tamen à suis vbique derelictus, post innumera fortunæ ludibria à Scotis, ad quorum fidem nuper confugerat, Comitialibus perfidiosè traditus, tum Holumbiæ seruabatur, vbi & spem nonnullam reddendæ sibi libertatis primùm per populum Londinensem, mox

per ipsum Fairfacem Comitialis exercitus Ducem, iam conceperat. Ille igitur à Marchione monitus per Georgium Hamiltonem equitem auratum de rerum statu, angustiisque, in quas ipse redactus esset; quippè qui suis omnibus bonis in militis stipendia distractis, nihil amplius haberet, quò eum diutius aleret, nec vllam aliundè superesse viam cerneret, reconciliationis cum Catholicis inter quos nimirum prævaleret pars Nuntij à cuiuslibet pacis consilio alieniſſimi: dedendas igitur necessariò vrbes, quas sine milite tutari nequiret, nec militem sine stipendiis, quæ sibi deessent, sustentari posse: Præscriberet ergo Maiestas vtri parti Dublinium regni caput, aliasque sibi commissas vrbes, quas diutius seruare non posset, tradi vellet.

Rex siue quod Catholicorum fidem iam suspectam haberet, quibus vtique Nuncius alienigena imperaret, siue aliud facere non ausus, ne duriùs ipse à Comitialibus tractaretur, præcipit, vt, quo possit modo, cum Comitialibus transigat, iisque vrbes quando eas seruare nequeat, in manus tradat.

Mandatum hoc peſſimè habuit Marchionem, qui Comitialium perfidiam probè norat: sed quid faceret in hoc discrimine? persuasum ipsi (iure, an iniuria

alij viderint) Nuncij votum esse ac studium, regnum in externum Principem transferre.

Vrgebat & Regis imperium, cui repugnare non modò reprehensioni obnoxium, sed & periculi plenum, ne Comitiales si non sibi, sed Catholicis vrbes dederet, Regem ipsum, tanquam eius facti reum malè mulctarent. Accersit itaque Comitiales, quibuscum de Dublinij, aliarumque quas eatenùs pro Rege, & Natione, (si satis Hiberni sapuissent) fideliter, ac laboriosè seruauerat, deditione tractat.

Libet hìc fidem tuam, ac iudicium compellare, ô Alithopile, nonne Reuerendissimus Nuntius, qui Marchionem, repudiatis cum eo tam pertinaciter omnibus reconciliationis præsidiis, in extremam necessitatem redactum ad dedendum hosti regni caput coëgit, prudentius egisset si in hoc rerum conflictu Hibernos Catholicos, qui, etiamsi voluissent, perduelles Comitiales, & Regios Protestantes simul expugnare non poterant, cum Regiis in gratiam redire passus fuisset, quò Comitiales infestissimos tam Nationis, ac Religionis, quàm Regis hostes vnà debellarent? An non quando plenam obedientiam Regi in Proregis personâ reddi non placebat, satius saltem, ac tu-

tius erat cessationem ad præstitutum aliquod tempus cum ipso inire, quo contractis interim viribus, Comitiales expellerentur, quàm quod factum est, eum ad vrbium deditionem hostibus faciendam, eorumque proinde vires & opes in regno augendas extrema necessitate compellere? Demus enim, (quod falsissimum est) Ormonium Nationis & Religionis nostræ reuerâ hostem esse infensissimum; demus, quod calumniatores quidam contra veritatem, & conscientiam suam audent asseuerare, eum in Regem perfidum, in Comitiales pronum semper extitisse, ac etiam nunc esse; tutius tamen erat inducias in quas, etiam post traditum in obsidem filium suum, lubens consenserat, acceptare, sicque vexationem ab altero hostium (vt talem fuisse Marchionem concedamus) ad tempus redimere, quàm duos simul lacessere, cùm vix debellando vni, Catholici sufficerent? Nunquid vel hinc colligas Reuerendissimum Dominum in hoc toto negotio non aliter se gessisse, quàm si regnum Comitialibus ex composito tradere studuisset? Quid enim aliud agebat, quando Ormonium qui solus ex tot Protestantibus regias partes tuebatur, tantopere diuexabat; cum hoc nullam amicitiam, nullum fœdus, commercium nullum, nullam armorum cessatio-

nem habendam volebat? imò verò sperabat, ac palam spondebat Reuerendissimus Nuncius Dublinium quod ab Ormonio extorqueri non poterat, quàm primùm eo exacto, ac facili quidem opera Comitialibus eripiendum; vnde nihil ipsi magis in votis esse constabat, quam vt abscedente Prorege, vrbs ipsis quàm primùm dederetur, vt vel ex eo patet quod Prorex post admissas aliquas comitiales in vrbem copias, dum arcem adhuc ipse teneret, paratus erat ad reconciliationem cum Catholicis ineundam, si Eugenium vnà cum Prestonio ad ipsum mittere voluissent, sed ne hoc quidem placuit Reuerendissimo Domino eiusque asseclis, quos tantæ eius in regno moræ plurimum tædebat. Deditur igitur vt Rex præceperat, conuentúmque fuerat mense Iunio, anni 1647. Dublinium Hiberniæ caput Comitialibus copiis Michaëli Ioni parentibus, vnde Iacobus Ormoniæ Marchio cum coniuge & liberis, pecuniis quibusdam à Comitialibus pro viatico (nec enim nisi in extremam illam necessitatem redactus vrbes dedidisset.) Acceptis verum quidem est plures ipsi quasi in compensationem belli sumptuum ab ipso in alendo milite pro vrbium custodia factorum à Comitialibus ex pacto promissas fuisse, sed fidem postea fefellerunt homines perfidiosissimi,

fidiosissimi, in Angliam traiicit, Regem conuenit, à quo benignissimè exceptus est, impensæque operæ gratiæ illi maximæ actæ, maiores habitæ, cumque potestatis Proregiæ diploma, quod minus sibi fœliciter successisset, redhibere vellet; Rex id recipere noluit, addens, *aut ipsum, aut non alium, fœliciori successu posthac vsurum.* Tantum abest vt Rex Ormonium minus sibi fidum crediderit, quidquid dicant quidam populares mei tam rerum ignari, quàm in loquendo intemperati, petulantes, ac vani.

Suspectum comitiis Anglicanis hoc iteratum Regis & Ormonij aliorumque colloquium, quare ex his aliisque id generis cómerciis tanquam nascituris periculis occursuri Regem solito arctius custodiunt, ac mox publico edicto imperât vt quotquot arma pro Rege antehac gesserunt intra statutum diem ab vrbe & confinio faceſſant; Paret inter cæteros Marchio vrbe Londinensi ipsa Natalis Domini die citatis equis profectus, sed cum paulò post resciret turmam equitum ad se capiendum propediem affuturam, ementita veste, & vultu, aufugiens piscatoria cymba in Galliam remigat, quò & paulò post peruenit filius eius primogenitus Ossoriæ Comes, quem per aliam viam pedissequi ementita veste discedens emiserat, gnarus

amoto primogenito Comitiales in vxorem, & reliquam sobolem minus sæuituros. Gratus fuit Marchionis aduentus Sereniſſimis Vvalliæ Principi, & magnæ Britanniæ Reginæ matri eius. Sed iam redeamus in Hiberniam.

Exacto igitur Marchione, Reuerendiſſ. Nuncius, & quotquot eius sequebãtur nutum, perinde triumphabant, ac si tota Hibernia, erepta hostibus Eccleſiaſticæ & politicæ libertati iam plenè reddita esſet; nec dubitabant asserere reliqua pro voto breuî succeſſura: ac quò res tentetur, Preſtonius cum exercitu 8000. armatorum Dublinium versùs mouet, munitiones quasdam leuioris momenti in vrbis Confinio capit. Trimum obsidet, sed Iones qui à Comitialibus miſſus in præfectura succeſſit Ormonio, contractis à Scotis auxiliaribus copiis, in Preſtonium proficiſcitur. Hic equitatu inferior, etſi pedite non impar obſidionem leuat, inſequitur Iones, aſſequitur, pugnat, fugat equitatum Catholicum, cædit lectiſſimi peditis sena millia octauo menſis Auguſti 1647. Non deerant qui dicerent manifeſtam esſe hanc diuinam vltionem in exercitum fœdifragum. Citabatur & ad rem ex Hungarica hiſtoria exemplum, qua conſtat Vladiſlaum Hungariæ & Poloniæ Regem generoſiſſimum & optimum cum vniuerſo exercitu

ac Iuliano Cardinale anno 1444. ab Amurathe Turcarum Imperatore cæsum, in vindictam honestæ ac vtilis pacis, quam superiore anno fecerat, eiusdem Cardinalis qui Eugenij quarti legatus erat, suasu, impulsu, instantia, violatæ. De quo historiæ author. *Iulianum*, inquit, *malorum omnium authorem, inter fugiendum casum esse ferunt.* Et infra: *Tales igitur pœnas exauditis Turcæ imprecationibus Deus iustus à Christianis exegit* Bonfinius rerum Hungaricarum Decad. 3. lib. 6.

Creditum à plerisque id Nuncium non ingratum Reuerendissimo Firmano, quo vel sic Eugenio sibi deuotissimo in Lagenia locus fieret, quò & ita vocatus vt à Reuerendissimo Domino, & Clogherensi ipsi pugna cum hoste committenda strictissimè interdiceretur: vndè factum vt Iones vicinas latè regiones impunè deuastauerit. Verum ne quid Hibernorum Catholicorum miseriæ deesset, Vicecomes Taaffus qui exercitum Catholicum satis numerosum in Momonia ducebat, concilio ad intempestiuè pugnandum instigante, & eatenus prudenter cunctanti, minaciter imperante, cum Inchiquino tum Comitiis Angliæ addicto pugnat, & cæditur mense Decembri eiusdem anni 1647. Ita intra quatuor menses duos integros exercitus amittunt Catholici, nec

id moleſtum, vt dicebatur, Reuerendiſſi-
Anno mo Domino atque eius aſſeclis, ratis vel
1648. ſic omnia ad Eugenium deuoluenda, cu-
ius quippe ſolius vires eſſent integræ.

CAPVT SEPTIMVM.

Multis attriti cladibus Catholici ad Reginam Angliæ & Vvalliæ Principem legatos in Galliam mittunt, vt cum Regiis partibus toties reſciſſa pax reſarciatur. Deſtinantur etiam ad Pontificem legati. Interim Barone de Inchiquin à Comitialibus, quorum dux erat, ad regias partes tranſeunte cum eo de induciis Catholici agere incipiunt Reuereudiſſimo Nuncio primum conſentiente.

HIs aliiſque pluribus attriti cladibus Catholici de auertendâ imminente ac iam penè præſente regni ruina ſerius agere cœptant, tum verò cum Taaffi profligatus eſt exercitus Comitia generalia Kilkennia habebantur. Ibi compertum eſt plurimos ſuæ ob repudiatam pacem pœnitudinis indicia dediſſe; Ac vt paucis dicatur, facilè conuenitur de pace ſi fieri poſſit denuò ineunda, cum omnes agnoſcerent non alias vnquam, quam tum in

Hibernia, verius dictum: Nulla salus bello.

Difficultas erat de modo renouandæ conciliationis cùm parte Regiâ cui post Ormonij discessum nullæ iam in Hiberniâ vires, neque Serenissimus Rex aditi poterat, cum ad eum nuper in Vectim insulam à Comitialibus abductum, ibique arctissimè custoditum nemini pateret aditus. Verumtamen conuentum inter omnes, vt Serenissimam magnæ Britanniæ Reginam, & Vvalliæ Principem præsum. ptum regni hæredem, tum in Gallia profugos legarentur qui Catholici fœderis nomine rogarent vt Nationis paci consulere dignarentur, idque quàm primum ac certis quibusdam conditionibus, quarum vna erat vt Catholicum Proregem regno præficere placeret: & quia incertum erat, an possent, aut vellent Regina & Princeps pacificandæ Hiberniæ studere, scitum in illis Comitiis vt si rem aspernarentur, aut negligerent Principes legitimi, externi cuiusdam Principis patrocinium, ac tutela quæreretur postremam hanc clausulam, vbi audiuit Reuerendissimus Fitmanus, illico vt summus Pontifex in regni patronum nominetur, efflagitat. Sed responsum à regni paribus se nec posse, nec velle nisi desertos prius à legitimo principe, ac planè derelictos,

quempiam alium regni protectorem nominare. Addebatur præterea etiamsi id certò euentutum sciretur; non ita tamen præcipitanda esse consilia vt quisquam ex abrupto in protectorem eligatur. Tentandas enim esse prius plurium externorum principum voluntates, vestigandas peragendæ rei vias plures, conditiones excogitandas, exploranda non vnius, aut alterius, sed omnium principum sensa, potentiam, vicinitatem, aut longinquitatem, commoditates Nationis, cui præsunt, mores, & agendi ritus, ne fortè si inconsultus quis appellaretur, qui aut nollet, aut non valeret subuenire, reliqui quoque non nisi iam aliundè repulsos ad se recurrentes meritò aspernarentur.

Scitum insuper à Comitiis vt Romam ad Pontificem mittantur qui suam sanctitatem quàm afflicta esset in Hibernia res Catholica fusè, ac verè docerent: Hæc Prouincia mandatur Nicolao Fernensi Episcopo viro Reuerendissimo Nuncio in paucis fido, cui in respuenda superiore pace primas secundum Clogherensem, tribuas; vnde & congregationis Ecclesiasticæ Cancellarius à Reuerendissimo Domino, & Clero paci reclamante, tanquam omnium ad id munus aptissimus constitutus fuerat, cui adiunctus Nicolaus Plunkettus, & is quoque Reuerendissimo Do-

mino & Clero in paucis charus, de quorum legatione mox nonnulla subiiciemus.

Designantur qui ad Carolum Vvalliæ principem, ac Serenissimam magnæ Britanniæ Reginam legandi videntur, Donatus Vicecomes de Muskry, & Emerus Clogherensis Episcopus. Verum hic legationem detrectat, causatus primùm se ob repudiatam nuper pacem, non nisi cum extremo vitæ discrimine ad Anglos legari, quibus eo nomine inuisus esset: mox cùm huius excusationis vanitatem explosissent Comitia, vtque legationem susciperet, suo vrgerent imperio, palàm profitetur se curam illam non posse subire, cùm Vltoniæ Prouinciæ interesset, ipsum rebus suis præsentem, & prouidentem habere. Sic factum est vt Antrimi Marchio in legatione Episcopi vice adiungeretur Muskrienſi, Antrimus in Galliam traiicit, mox secuti Muskrienſis & Galfredus aliàs Zephirinus Brovvnius: Macloüium appellunt 14. Martij anni 1648. illinc paulo post Reginam, & Principem in regio sancti Germani propè Parisios castro commorantes conueniunt, vbi humanissimè excepti quæ in mandatis habent, vnà cum Antrimo, qui eò etiam prius peruenerat, exponunt. Principes etsi ob pacem nuper proscriptam, quâ seruatâ, tam Rex Carolus quam Hibernica natio

iam periculo vacarent, indignationem suam non nihil testati, gratum tamen sibi & acceptum esse significant, quod vel nunc ad saniora consilia Hibernia propendere videatur, adeóque se propediem in Hiberniam cum potestate virum eiuscemodi missuros, quo cum tota natio confidenter ac tutò de pace tractare possit, quippè qui ea omnia in fauorem Religionis & Nationis, Regis ac suo nomine concessurus esset, quibus ipsi dubio procul, satis sibi abundè factum, professuri essent: cum quâ responsione possent illi, cum luberet, in patriam remeare, omniaque & omnes ad pacis spem & consilia disponere. In hoc responso nec Ormonius, nec alius expressè promissus est legatis, certum tamen est eum fuisse, vt aiunt, in mente curiæ designatum, quippè cui regendæ Hiberniæ Prouincia nuper ab ipso Rege prorogata fuerat. Non etiam negauerim Principum in eâ re consilium legatis & innotuisse, & acceptum fuisse. Antrimum tamen excipio, qui cum sibi id muneris appeteret probare non poterat, vt Ormonius præferretur, quod ipsum nec latuisse, nec multum curasse Principes, etiam compertum est, quippe quî hominem aliundè satis nouerant.

Dum hæc foris aguntur Conciliũ supremum, cui summam rerum generalia, de

quibus modò locuti sumus, Comitia concrediderant, domi perpendere cœptat quam periculoso in loco fœderatio Catholica consisteret, lectissimus veteranus duabus cladibus nuper acceptis extinctus: ærarium plane exhaustum erat, exanimatus tot miseriis totque consternatus aduersis populus, non solum nouas exactiones respuebat, sed vetera vectigalia non libenter, aut vbique soluebat, fœderatorum qui in hostium vicinia habitabant multi, cum se à suis defendi posse desperarent, iam ad ipsos hostes confugerant, pactique de certi tributi solutione præsentem vexationem redemerant: horum exemplum plures quotidiè sequebantur, hostes vbique in quatuor regni, quos occupabant, angulis potentes, quominus in fœderatos in medio regno constitutos simul irruerent, nihil præter hyemis vigorem impediebat; adeóque id primo vere facturos dubium non erat: his pressi, ac propè oppressi calamitatibus concilij proceres nihil satius ducunt, nullam præsentibus morbis præsentius remedium adhiberi posse iudicant, quam si induciis ad tempus cum aliquâ cingentium hostium parte initis, ipsos inter se primùm diuiderent, moxque, si fieri posset, committerent, ipsi interim vnitis, quas habere poterant, viribus alicuius cunei eorum expu-

gnationi suffecturos. De his Reuerendissimus Dominus, qui tum Vvaterfordiæ erat, per Zephirinum Baronium consulitur, eiusque sententia, & consensus flagitatur. Probat ille vt induciæ cum Scotis Vltoniam possidentibus, vel si id magis ad rem facturum videatur, cum Barone de Inchiquin viciniore, multumque formidolosiore hoste quam primùm fiant, quò Dublinium regni caput expugnari queat. Accepto hoc responso vna supererat difficultas, quo nimirum modo hostium aliqui ad armorum cessationem allicerentur sine aliorum consensu, cùm omnes huc vsque Comitialium Anglorum stipendiis militarent.

Sed & hunc nodum fœlicius (vt videbatur) quàm humanitùs sperari poterat, mox soluit Morroghanus ó Briennus Baro de Inchiquin, de quo iam sæpius facta est mentio: is enim cum animaduerteret Anglica Comitia, non modum aliquem, aut temperamentum (quod solum ab initio sibi cordi esse præ se ferebant) Monarchico regimini adhibere, sed Monarchiam omnino extinguere, regni Pares (vulgo Lords, hoc est Dominos appellant), quorum ante hac magnum ibi nomen, ac dignitas, aliosque nobiles omni honore, & authoritate priuare, demum popularem regiminis formam in tribus regnis

statuere affectarent, declaratione editâ mense Ianuario, anno 1648. & in fronte exercitus lectâ, manifestat se ab iniustâ & violentâ Comitialium ordinum potestate ad legitimi Regis subiectionem, & obsequium redire; tum quotquot ex copiarum suarum ductoribus sibi hac in re aduersari comperit, in carcerem tradit, quorum alios cum primogenito suo, quem fidelitatis obsidem ab initio Comitialibus tradiderat, postmodum commutat. Mox cessationem armorum ad præfinitum tempus cum Catholicis, quò coniunctis viribus Dublinium aggrederentur (cum Iones eius præfectus à se sollicitatus ad regias partes transire nollet) inire desiderat.

CAPVT OCTAVVM.

Inducias cum Barone de Inchiquin quibus antè consenserat, scriptis ad supremum Hiberniæ Catholicorum Concilium Epistolâ dissuadet Nuntius. Cui respondent Proceres eaque inducias Catholicorum rebus non modo vtiles, sed & necessarias esse declarant. Quid ad hæc reposuerit Nuntius, & quid rursum ad secundam Nuntij Epistolam proceres.

OCcasionem hanc diuinitùs datam rati Ordines Catholici, illicò de induciarum modo, & conditionibus cum Barone tractare incipiunt: cum ecce Reuerendissimus Nuntius missâ hac Epistolâ rem sibi minus probari significat.

Reuerendissimi Nuntij ad Concilium Epistola, Pro dissuadendis induciis.

Et muneris mei ratio, & obsequium erga DD. VV. Illustrissimas incessanter requirit, vt in omnibus Concilij supremi deliberationibus, quam maximè cupiam manifestari,

tam profectum Religionis Catholicæ, & gloriam, ac famam Patriæ, quam etiam gaudium sanctissimi Domini nostri, hoc præsertim tempore, quo agentes à regno Romam destinati, iam apud sanctitatem suam, vt speratur, incolumes peruenerunt.

Quare in induciis quæ modo cum D. Barone de Inchiquin tractantur, nisi hæc tria concurrant, valdè dubitandum est, ne contrarius quam speratur, sequatur effectus, & via sternatur ad vlterius, & grauius patriæ detrimentum.

Nam cum proprium sit induciarum relinquere statum rerum pro vt in præsenti est, & nullam fieri alterationem partium, omnes vident, quam malè nunc habeatur Religio Catholica in Momoniâ post sautias, & direptiones autumnales, & Hibernas ab ipso Barone inflictas, cum tot sacerdotum mulctis, exilio, atque Ecclesiarum vastationibus, quæ omnia remanere debent in perniciem tot animarum eo præsertim tempore, quo propter exercitus hostilis imbecillitatem, ac debiles etiam Parlamentariorum vires, sperandum erat Catholicos recuperaturos, quidquid in Momoniâ deperditum est, & auspicaturos pro Religione annum insignem, & acceptabilem. Et hinc sequitur respectus qui debetur famæ, & gloriæ à confœderatis Catholicis, iam enim publicum est apud omnem Europam D. Baronem deuastasse ciuitatem Cas-

sellia, atque intrà templum illud Diuo Patricio dicatum horribili sacrilegio tot Sacerdotes, & fœminas ad altare ipsum trucidasse, ac posteà plures Comitatus ad contributionem coëgisse, demumque ad muros ipsius Kilkenniæ Magistratui supremo insultasse. Quare nemo existimare poterit vires Catholicas esse adeò accisas, vt velint inducias hosti tam infenso offerre, post receptas ab eo tot calamitates.

Imo omnes existimabunt nullam maiorem gloriam posse supremo Magistratui accedere, quàm si collecto exercitu iubeat penetrari in hostium quarteria, ac simul liberationem contributionum, & salutem populorum procurari. Quis enim pati possit, vt nummus, & alia bona, quæ possunt sustentare milites Catholicos misera commutatione inseruiant hosti, & eum contra nos reddant & fortiorem, & infensiorem? Certe omnes comitatus, vt ab huiusmodi onere liberentur, dare debent, ac dabunt lubentius nostris facultates suas, quàm hosti, à quo semper maiora damna exspectare possunt.

Quod vero ad sanctissimum Dominum, fateor, D. Illustrissimi, nescire me qua ratione possim illi hunc nuntium offerre, vt post tot direptiones, ac damna hostis obtinuerit inducias: nam præterquàm quod sanctitas sua à cessationibus præteritis agnoscit omnes regni iacturas accidisse, & nihil existimat

pernicioſius quàm per ceſſationes hoſti prodeſſe. Quid erit in hoc caſu, quo non eſt ſanctitati ſuæ ignotum hoſtem potiri imbecillo exercitu, & ſæpius excurſiones ob famem, & penuriam feciſſe; quin neque exſpectari ab Anglia ſubſidium, & Religioni Catholicæ grauiſſimè præiudicaſſe, & tamen obtinuiſſe inducias! Quam rogo officere poterit hic Nuncius oratoribus à DD. VV. Illuſtriſſimis deſtinatis, quibus ſua ſanctitas exprobrabit timorem hunc Confœderatorum, & iuſte cenſebit ſe ad vlteriora auxilia tradenda merito retrahi.

E contra ſi generoſe, & pro noſtra ſancta Religione reſtituenda in Momonia exercitus colligatur, & aliquis ad mare locus recuperetur, ſuperfluum eſt vt repetam Dominis quale gaudium ſanctitati accederet, quiue illius animus eſſet erga confœderationem, cùm ex D. Decano ſatis intelligere potuerint, quid ſua ſanctitas præparauerat tam in pecunia, quam in publicis honoribus, ſi Dublinium ad eorum manus deuenisſet, prout impenſiſſime optabat, ac etiamnum optat.

Ego certe cùm iam à biennio nihil magis cupiam, quam ſemel poſſe aliquid ſanctiſſimo nuntiare, quod illius animum ad vlteriorem benevolentiam erga DD. VV. Illuſtriſſimas alliciat, ſciamque quid ſperari ab eo poſſit. In hoc caſu occultum Dei iudicium exiſtimo eſſe, quod huc vſque non niſi aduerſa, &

malè ominantia scribere potuerim, nec minùs mirabile iudicarem, si confœderati non laborarent semel id præstare experturi in re alias sibi vtili, an verum sit, quod toties inculcandum mihi fuit, non ob aliud, quàm ad maximam dominationum vestrarum fœlicitatem, & dignum Religionis Catholicæ profectum. Hæc scribenda ante meum aduentum duxi. Idem DD. VV. Illustrissimis.

Ioannes Baptista Rinuccinus
Archiepiscopus Firmanus.

Rescribunt Proceres, vrgentque præcedentem eius consensum, desperatamque rerum suarum, si hæc quoque occasio elabatur, conditionem affirmant: rogant igitur vt Reuerendissimus D. Vvaterfordiâ (vbi tum prospiciens in longum, arcanaque moliens hærebat) Kilkenniam quàm primùm veniat, sibi præsentiâ, consilio, fauore in omnibus, ac in statuendâ præsertim contra communem hostem expeditione affuturus. Id testatur hæc ipsius Concilij ad superiorem Reuerendissimi Nuntij epistolam responsio.

Supremi Catholicorum Concilij ad Prædictam D. Nuntij epistolam responsio.

Quandoquidem Illustrissima D.V. pro eo, quo

quo fungitur, munere deliberationis nostræ, & rerum nostrarum statum sapius indicauimus, & vicissim omni cum vrbanitate libere suum super re controuersa sensum exposuit, & iam de induciis cum Barone de Inchiquin contrahendis Illustrissima D. V. argumenta in negatiuam partem scripsit, nosque ipsas ineundas censemus: has quibus in illam sententiam adducti transiuimus, rationes ad Illustrissimam D. V. mittimus, vt communi studio, & concordi animo afflictæ succurramus Hiberniæ, ne via sternatur ad vlterius, & grauius Religionis, & Patriæ detrimentum, pro quo haud dubie sua sanctitas maximo afficeretur dolore.

Primò D. V. Illustrissima D. de Inchiquin (acerrimi hostis) direptiones, Sacerdotum mulctas, & exilia, vastatas enumerat Ecclesias, & omnes videre dicit, quam male nunc habeatur Religio Catholica in Momoniâ post tot sæuitias, propriumque esse induciarum, rerum statum relinquere, pro vt est in præsenti.

Perpendat, precamur, Illustrissima D. V. rei seriem, & vno intuitu percurrat Hiberniam, ne dum huic tanto malo adhiberi petit remedium, in alterum magis fatale incidamus.

Esto, vndique cogamus exercitum, extrahamus ex aliis Prouinciis vires, quibus hostem debellare possemus, si campo se inferat,

at si Baro de Inchiquin se imparem ad confligendum senserit, habet oppida munita, quibus copias tegat, cùm nos frumenti, & omnis generis commeatus indigentiâ laborantes, licet pecunias (quæ certè apud nos pauca sunt) in stipendia militibus erogare possemus, in his nullam obsidione premere poterimus.

Quærendum tunc si Parlamentarij interim quotquot in Lageniâ, in Vltonia, in Conaciâ sunt (quorum in vnaquaque ex illis Prouinciis ad iustum exercitum complendum sufficiens est numerus) stabunt otiosi. His infensissimi, & Religioni Catholicæ, & Regi nostro hostes, Lageniam, & Conaciam percurrent, dum nos Dominum de Inchiquin, qui in maximis Maiestatis suæ angustiis regias partes publica declaratione amplectitur, persequimur.

Quem fauorem, quas pacis conditiones à Serenissima Regina, & Vvallia Principe possunt agentes nostri exspectare, aut quo vultu petere, cùm bellum, quod vtrinque sustinere nequimus à Parlamentariis ad se profitentes Regis fautores transferimus, induciasve vltro offerentes spernimus, quorum vires duobus vix retro mensibus experti sumus.

Quod Dominus de Inchiquin sacra, & profana miscere, omnia susque deque vertere, ac diripere studuerit, partes egit suas, quid enim aliud ab hoste exspectandum? iam vero

si ea esset induciarum conditio vt Ecclesias ab illo vastatas & pollutas iterum ædificare, iterum consecrare nequiremus, nec prædiorum ruinæ iterum resarciri, nec Missa posset celebrari, nec Pastor, aut Religiosus in toto illo tractu, per quem inimicus exercitus transiit, viuere valeret, certe essent rebus etiam desperatis induciæ illæ reiiciendæ; sed cum per inducias terminis fortè angustioribus concludetur hostis, quid impedit, quo minus pristinum splendorem per maximam Momoniæ partem recuperare possit Ecclesia, cum induciis stabilitis, qui anteà fuerat, pro tempore hostis esse desierit?

In illis etiam reseruandis illi quarteriis seu limitibus frequentior erit haud dubiè sacrorum vsus, cùm publica fide per inducias data minus timendus ipse hostis redditus fuerit. Iam vero reiectis induciis, quid euenire possit mente reuoluamus?

Primo occurrit eundem ipsum hostem eo maximè irritandum, & si quid malitiæ ante defuerat, hoc spretæ reconciliationis vesania abundè suppleturum. Quid si miseros sub sua potestate Catholicos ferro persequatur, ac flamma, & exercitu (qui ita dispositus est, vt bidui spatio colligi possit) ex Hybernis stationibus educto totam iterùm Momoniam percurrat, & primæ deuastationis reliquias totaliter deuoret.

Dicit Illustrissima D. V. hoc non esse sup-

ponendum, cum in noſtra poteſtate ſit exercitum multò meliorem colligere. Fatemur certè nobis non deeſſe viros, ſed experientia notum eſt, cum ad muros Kilkenniæ, & Vvaterfordiæ Illuſtriſſimæ D. V. & nobis inſultabundus hoſtis irrupiſſet, quam lente educantur milites, quandoquidem ordine dato, & plus decies repetito, D. Generalibus Preſtonio, O Neill, & Taaffo vix ad tria millia ante hoſtis receſſum in hanc vrbem peruenerunt.

Quod ſi Baro de Inchiquin à noſtro exercitu in anguſtias reductus, & deſperatione coactus Parlamentariis Angliæ Corcagiam, Yogheliam, Kinſaliam, & reliqua fortalitia, & portus maritimos dedere velit, non adeo illi infenſi ſunt Parlamentarij, licet modo hoſtis ſit, vt magna ei dare, & maiora promittere denegent.

Quid denique detrimenti nobis afferri poſſit per Colonellum Ionem, qui Dublinium Parlamentariorum nomine poſsidet, expluribus inde nobis exortis calamitatibus facile eſt iudicare.

Iuſsit Conuentus Generalis (& ſolemni ſuffragio decretum illud firmatum eſt,) fœdus, ſi fieri poſsit, contrahi cum Marchione Ormoniæ, ea potiſsimum de cauſa quod regiis adhæſiſſet partibus: D. de Inchiquin idem profitetur, & difficillimis temporibus ſuos Regem exprimit affectus, & cum illo paciſci pro commodo noſtro inducias denegabimus.

Nos ex Comitiorum Generalium. & Concilij supremi decretis colligimus, ex omnibus aduersariis illos qui Regem incolumem velint eligendos esse, quibuscum armorum cessationem ineamus; imo publico manifesto typis mandato regios etiam Protestantes libertate conscientiæ data nobis inseruire inuitamus, & quis iam fidelitatem erga Regem nostrum (quam sapius Hibernis suæ sanctitatis nomine commendauerat Illustrissima D. V. & multoties repetito associationis solemni iuramento ipsi asseruerunt) nobis inesse existimabit, qui nullas cum illo inducias esse velimus, qui in regias transiit partes, quandoquidem collectis etiam viribus debellare Parlamentarios maius opus sit, quàm quod hoc perfici, anno posse speramus.

Præterea cœsiderandum est D. de Inchiquin, quod ex regiis sit, si pax, & sua sanctitati, & nobis grata concludatur illi paci obtemperaturum, ita vt contra Parlamentarios tanquam communes hostes, & rebelles arma lubens capiat.

Illustrissima D. V. nos ad omnes hostes vna expeditione debellandos impares esse nouit, & per literas prima die Martis superioris ad nos datas, cùm rumor tantum de induciis cum Scotis Parlamentariis concludendis sparsus esset, Illustrissima D. V. quidquid id esset Reipublicæ, & regno valde opportunum fore censuit, optauitque Religioni Catholicæ fore

proficuum, Deumque precabatur, vt fortunaret inceptum, ex quo multa sperari poterant bona etiam in aliis regnis.

Ante tres septimanas D. Galfredus Barron ad nos detulit sensum Illustrissimæ D.V. tunc fuisse, quod fores nostræ tantis essent in angustiis, inducias faciendas esse cum hoc ipso Barone de Inchiquin, qui eas iam vltro offert, & ab ipso tempore Regias publice profitetur partes, & hoc manifesto indicio comprobauit, cum ex primariis sui exercitus ducibus quosdam (quod Regi adhærere nollent) in carceres detruserit.

Quod ad famam, & gloriam fœderatorum spectat, vbicumque publicabitur, Cassellam captam à D. de Inchiquin, & horrendum illud facinus in templum D. Patricio dicatum fuisse patratum, ibi etiam innotescet Cassellam, & Cathedralem Ecclesiam cum omnibus aliis illius tractus Ecclesiis in manus nostras deuenturas, & licet orbis Christianus impia illius stragis authores execretur, omnes tamen quibus rerum nostrarum status clare, & fideliter referetur, prudenter, & vt viros decuit, qui Deum tentare noluerunt, hac in re egisse nos existimabunt.

Et vero quid inducijs etiam inter principes frequentius? quoties eas cum Batauis subiectis suis Rex Catholicus habuit, & iam tandem, vt fama est, perpetuum pepigit fœdus, Reges Christianissimi Carolus nonus, &

Henricus tertius cum Hugonottis rebellibus in Gallijs inducias sæpius habuerunt? meliori fortè loco sunt res nostræ, quàm apud hos Principes erant suæ? nequaquam ab vno fonte repetendæ sunt omnes inductiarum rationes: conditiones cæteroqui etiam infames, iustas efficit necessitas.

Hostium nonnunquàm arbitrio omnia relinquuntur, sed vtcumque sunt res nostræ, nihil per inducias concludemus, quod Ecclesiæ, Dei gloriæ, aut fœderatorum famæ possit officere.

Imbecillem dicit Illustrissima D. V. hostilem exercitum, & exiguas Parlamentariorum vires. Certe aliud experti sumus, nec omnia, quæ ad D.V. deferuntur, adeo sunt certa, at licet nec animis ceciderimus, nec fractæ sint vires nostræ, rerum tamen euentus nos docuit, nihil contra hostem improuide aut abrupte tentandum esse.

Conqueritur Illustrissima D.V. quod nummus, aliaque bona quæ sustentare possent exercitum nostrum, miserâ commutatione hosti inseruiant: hoc quis pati vellet, penes quem esset eligendi potestas? an putat Illustrissima D.V. quod non inuitis Parlamentarijs etiam nos multa absciudimus, multa detinemus: belli vt euentus dubij, ita & eius actiones sunt variæ, nostrates etiam nunc prope Dublinium prædas agunt, & ab agricolis contributiones quasdam exigunt.

Illustrissima D.V. optime nouit quanto affectu sanctitatem suam & sedem Apostolicam prosequimur, & quanto studio desideramus vt prospera illi omnia & læta eueniant. Neque certe desperandum est sanctitatem suam his ipsis induciis consolari posse, cum audierit nos humillimos filios vtrumque hostem vnà debellare non valentes aggredi voluisse Parlamentarios, qui obstinatà, & in Regem & in Religionem nostram feruntur malitia, neque magis gratum sanctitati suæ futurum existimamus audire quod in occidente, quàm quod in oriente fortalitia, & loca maritima cepimus, aut quòd exercitus noster profligauerit Regios potius quam Parlamentarios: sed quid tentandum sit proxima æstate, & quibus mediis coràm proponemus. Et speramus Illustrissimam D.V. & nos de aliqua expeditione vnanimi consensu deliberaturos, quæ suæ sanctitati futura sit grata. Interim precamur Illustrissimam D. V. vt sibi, & nobis id fauoris exhibeat, vt quæ super rebus nostris ad suam sanctitatem scribit, euidenter sciat, & melius inuestigari faciat, quæ sint hostium vires, quæ spes subsidij ex Anglia, & quantos belli apparatus struat Iones Dublinij: quæ pecuniarum summæ decreto Parlamentario in hoc regnum destinata sit: quot naues, quot Fregatta huc mittenda, denique quam vacuum sit ærarium nostrum, quomodo in illis subsidiis apud Illustrissimam D.V. à

D. V. à sua sanctitate missis ad educendos exercitus spem ponimus, & suppetias in reditu Reuerendissimi Fernensis & D. Plunketti ad progressum vlteriorem faciendum exspectamus, & reliqua quæ scribi possunt de frumenti penuriâ, & rerum nostrarum angustiis, quibus à suâ Sanctitate consideratis, tantùm abest vt induciarum fama nostris Oratoribus Romæ officere possit, quinimo illas approbabit haud dubiè sua Sanctitas, & vlteriora subsidia accelerabit. Hæc per literas Illustrissimæ D. V. communicasse sufficiat, coràm fusiùs agemus.

Edmondus Limericensis, Athunrii, Rob. Lynch. Rich. Belings, Geraldus Fennell, Patricius Brian, Robertus Deuereux.

Reuerendissimi Nuntij ad prædictam epistolam replica.

Visa responsione Illustrissimarum DD. VV. atque auditis quæ earum nomine DD. Commissarij Generales super negotio induciarum ad me retulerunt; adhuc videtur remanere difficultas super eadem re, nisi ad particulares conditiones descendatur, quibus tractatio concludenda sit, ex quo pendebit verum de iisdem iudicium faciendum.

Nam licet verissimum sit, quemadmodum Illustrissimæ DD. VV. dicunt, quod

induciæ passim fieri solent etiam cum infidelibus, & quod summi Reges illas passim contrahunt, non minus tamen certum est, quod solum illæ laudantur, quæ fiunt ex necessitate, seu ob vtilitatem, & è contra vituperantur illæ quæ alterutro ex iis carent.

Necessitas autem in casu nostro ad id solum restringitur, nempe quod confœderati sint impares vtrique bello, Lagenienſi, & Momonienſi, in quare, ne iudicium debeat ferri, sine maxima rerum experientia, existimarem operæ pretium esse, vt omnes Generales conuocarentur, & ipsorum audirentur sententiæ: ad ipsos enim spectat statuere, an sufficientes sint vires Catholicorum vtrique expeditioni, & posito præsenti statu inimicorum disquirere quæ ratione possint oppugnari, vel detineri, & quot legionibus, & quibus definitionibus res confici possit, alioquin ij, qui sunt extra multiam facile pronunciare possunt alterutrum extremorum, videlicet quod vterque hostis sit redactus in angustias, quemadmodum passim auditur, & ideo non esse timendas eorum vires, maximè in bello pro Religione suscepto in quo est aliquid Deo committendum, vel è contrà quod vires hostiles non sint adeo accisæ, quod possint ab Angliæ exspectari auxilia, & ideo securius esse cum altero hostium pacisci, quam sententiarum contrarietatem bellicum tantummodo consilium poterit explicare.

Sed quando non adesset necessitas, videamus si forte utilitas adsit in his inducijs, & primo necessarium mihi est tollere aquiuocationem, quam video fortasse ex meis litteris ad DD. VV. Illustrissimas non bene se exprimentibus captam. Existimo enim in ea epistola, quam asserunt me scripsisse prima Martij, me nullomodo laudasse inducias cum Scotis. Et dato quod hoc verbum ibi legatur, fuit vere præter meam intentionem, qui nec cum Scotis, nec cum ipso Inchiquin, seu aliis alterius religionis laudaui inducias, sed intellexi tantùm de accommodatione aliqua, confœderatione, vel simili aliquo contractu. Et ratio discriminis est illa quam ego tetigi in prima mea scriptura, videlicet, quod in induciis solent res remanere, prout in præsenti sunt, sine aliquo profectu illius tituli pro quo assumitur bellum. At confœderatio, seu accommodatio concludi non posset, quin adsit aliqua vtilitas partium contrahentium: & cùm ego crediderim non posse cum Scotis ad id peruenirì nisi dato aliquo augmento Religionis nostræ in illis partibus, ità etiàm similem confœderationem cum tali augmento contrahendam cum Domino Barone non solùm laudaui semper, sed etiam optaui, prout testes mihi esse possunt plerique Dominorum ex Concilio supremo. At vbicumque nulla talis vtilitas haberi potest, animus mihi non

fuit, quæscumque inducias, vel simile interstitium approbandi.

Hoc posito videndum est quæ utilitas Religionis & Regis haberi possit in his induciis: & quoad Religionem, si non deueniatur ad particularia, nihil huc vsque auditur, quod illam iuuet, ideoque remanent vera, quæ in mea prima scriptura considerantur, videlicet quod Religionis status in Momonia nusquam fuit infælicior, & angustior, & quod ij qui damnum intulerunt, reportabunt cum maximo nostro dedecore præmium & commoditates, quando tempus erat animis verè Catholicis contra sacrilegos insurgere, & illos omni conatu vel debellare, vel repellere.

Sed veniamus ad Regem circa quem videntur DD. VV. Illustrissima supponere, quod sanctissimus D. noster gratam habere debeat confœderationem esse Majestatis suæ deuotam, & obsequentem, atque adeo benè egisse amplexando, & ad inducias prouocando D. Baronem pro ipso Rege declaratum. Ego vero DD. VV. Illustrissimis significo Sanctitatem suam existimasse melius semper millies Concilium esse D. Regi, si in manibus Catholicorum habeantur arces, & castra Momoniæ, quàm in manibus D. Baronis declarati pro Rege, imò nec posse meliorem præstari obseruantiam, neque arctius obsequium Majestati suæ, quàm per Catholicos qui sciunt

seruare fidelitatem Deo. Cur enim sanctitas fua præteritis annis, tot officia & munitiones per Reuerendiſſimum Scarampium, & poſtea per me interpoſuit, vt confœderatio oppugnaret Dublinium, quod erat in manibus Marchionis Ormonij non ſolùm declarati pro Rege, ſed etiam Proregis, forte vt Maieſtati ſuæ detraherentur obſequia, imo vt melius Regi per Catholicos ſeruiretur quàm per Proteſtantes, & ideo ſi perſuaſum ſibi habeat Sanctitas ſua, quod inducia cum Inchiquin facta fuerint ſine euidenti neceſſitate, & quando ſperari poterat recuperatio ipſius quarterij, credant pro certo illum agerrime laturum, quod hoc factum fuerit eo titulo, videlicet declarationis pro Rege, quin imò coactus erit exiſtimare omnino neque Religioni, neque Maieſtati ſuæ fuiſſe conſultum.

At vero quid ſi, Illuſtriſſimi Domini, hac declaratio apud Principes exteros, & profunde omnia rimantes, tanquam facta ab homine vſque adhuc Regi inimiciſſimo, & volubilis, atque artificioſiſſimæ naturæ, tanquam leuis, & non attendendæ reputetur, niſi certis primo, & ſecuriſſimis comprobetur experimentis. Quid ſi Regina ipſa Sereniſſima & Princeps, leuem eamdem pariter exiſtiment, & ſecurius ſibi fore credant, quod confœderatio Catholica, potiùs quàm D. Baro habeat illa quarteria. Quid ſi tandem D. de Inchiquin, qui vnitus erat præteritis menſi-

bus cum D. Iones ad interciptendum confœderatos in medio, nunc præmissâ supra dicta declaratione, nihilominùs occultè cum ipso consentiat, & appropinquantibus Dublinium confœderatis ipse etiam Iones declaret se pro Rege, & simul excludant ab omni acquisitione confœderatos? nùm poterit tunc diuersa lex haberi cum Iones, quàm cum Inchiquin, & in quo statu tunc erit Religio iam penè deperdita in Momonia, & sine vllo augmento in Lagenia? quod enim hæc succedere possint sufficit exemplum Domini Marchionis Ormoniæ, qui cum obligatus esset Regi nihilominus nulla habita ratione Maiestatis sua Dublinium Parlamentariis consignauit, & nunc iterum quasi hæc mutatio nullam habeat inconuenientiam ad Regem reuertitur.

Hæc sunt quæ suspirat Sanctissimus D. N. videt has incertitudines, prauidet hæc pericula, & gemit iacturam Religionis maxime si contingat prætextu obsequij in Regem, vel alterius vtilitatis, aut quietis, quæ frustrà sperandæ sunt, sine profectu Religionis, & plerumque euadunt falsa, sicut sapius dictum est.

Quocirca dicebam DD. Commissarijs hæc omnia potuisse magno cum honore, & prudentia transigi, imo & cum apparenti satisfactione Principum exterorum, & præcipue Sanctitatis suæ, si dum tractantur inducia, aliquis etiam exercitus in Momoniam contra

D. Baronem dirigeretur, quo effici posset, vt ille iam redactus ad angustias & irreconciliabiliter offensus Parlamento, vel veniret in conditiones DD. VV. Illustrissimis & toti confœderationi proficuas, vel aliqua ditionis sua parte priuaretur. Quod mihi visum fuit eo magis proponere cùm post recessum D. Baronis à Kilkennia scripserim profuse Sanctissimo Domino quidquid mihi fere ab omnibus, & præcipue à D. Limericensi tunc significabatur, videlicet confœderatos insultatione illa hostili excitos in strictiorem vnionem venisse, ac decreuisse remotis dissensionibus, ac æmulationibus exercitum contra Baronem propediem immittere, ostendereque quanti faciant & Religionem & Patriam. Nunc vero deplorandum esset, & habendum pro maximo infortunio, quod non solum cogar scribere ea omnia abiisse in fumum, sed Baronem vnica vocali declaratione pro Rege mutasse omnia, & confœderatos ad omnem illius satisfactionem descendere, qua vt in prima scriptura profuse descripsi valde suspicor, vt mentem Sanctitatis suæ eo maxime tempore auertant, quo agentes DD. Illustrissimarum eam maxime & præsentialiter implorant, & ego pro vt etiam scripsi videamme positum in illo molestissimo statu, quo iam tot mensibus nequeam aliquo lætitiæ Nuntio eamdem sanctitatem magis ac magis huic patriæ conciliare.

Hæc tamen omnia sint dicta ad illuminationem potiùs rei propediem concludendæ, cùm ex conuentu ab Illustrissimis DD. VV. intimato, & ex particularibus inducierum conditionibus multa possint considerari, quæ rem magis aperient, & fœlicius definient. Interim ipsi vt ab omnibus Religiosis, & sacerdotibus preces fundantur per quindecim dies continuos, ad quod DD. VV. Illustrissimas & omnes laicos adhortor, vt Deus, si hæc tractatio cedat in ipsius gloriam, & Patriæ bonum, dignetur illam vnanimi consensu promouere; sin minus impedire: hæc indifferentia animorum poterit impetrare à Deo quod petimus & DD. VV. Illustrissimis inspirare, quibus manus officiosè deosculor. 20. Aprilis 1648.

Ioan. Bapt. Rinnuccinus.

Concilij ad prædictam epistolam, rationesque in ea contentas responsio.

Præsentis disputationis statu ad hæc duo reducto necessitatem scilicet & vtilitatem, tantùm abest, vt inducia cum D. Inchiquin contrahenda vtroque careant, vt nec alterutro contenta, ambo amplectantur, sicut in primis rationibus ad Illustrissimam D. V. missis clare patet, quibus & hæc addere commodum visum est.

Quoad necessitatem, nos necessitatum nostrarum conscij præter Lagenienſe, & Momonienſe bellum, etiam in Conaciâ ineundum eſſe ſcimus, vbi æſtate præteritâ illius Prouinciæ, & Vltonienſis exercitus (quibus ijtus belli cura commiſſa fuerat) paucos contra hoſtem progreſſus fecerant. Scotos etiam Parlamentarios in Vltonia habere vires ad complendum iuſtum exercitum diximus, ità vt neceſſitatum noſtrarum campus latior ſit, quam illum deſcribit Illuſtriſſima D. V. Quæ ſint ergo noſtræ in iis prouinciis vires inquirendum, vi vbique ſuperiores ſimus, vel pares. Fuſi exercitus copia tempus exigunt vt reficiantur, bimos perdidimus æſtate iam præterita: ſi ſtipendia militibus iam erogare poſſemus (licet ad hoc ipſum nullomodo ſufficiant vires) diximus in Momonia deeſſe frumentum, & omnis generis commeatus, hoſtem oppida, & caſtra habere munita, vbi appropinquante noſtro exercitu omnia ad victum neceſſaria vndequaque rapiet, dum in deuaſtat. Prouinciâ nos militibus noſtris alimenta fruſtrà quærimus.

Diximus D. de Inchiquin commoditate oppidorum, in quibus Hibernas habet ſtationes exercitus, poſſe illum trium dierum ſpatio vnire, & educere, & dum diſperſos per Prouincias milites euocamus, & ſuper negotio lentè diſcurrimus, totam vt anteà percurret Momoniam, & Prouincia iterum tributum

imponet: octo solum supersunt dies, quibus conuentione cum comitatibus facta ab hoc impeditur, his elapsis, est sui iuris, & omnem potest tyrannidem in Prouincium exercere, hæc summa nobis videtur induciarum necessitas, has quod scimus nulli ex generalibus improbant.

Iam de vtilitate, & primo in quantum scribit Illustrissima D.V. se semper pratulisse induciis aliquam confœderationem, aut accommodationem contrahendam, aut cum Inchiquin, vel cum alio ex hostibus ea potissimum de causa, quod talis accommadatio aliquam partium contrahentium vtilitatem habitura esset, & Religionis augmentum. Ad hoc respondeti potest, licet D. Inchiquin talis confœderationi assentiri vellet, inducias tamen praire necesse esse, vt res tanta (cui neque tempus limites ponit, nec nisi semel ineundæ sit) perficeretur. Sed qua sit futura hac confœderatio, aut quid emolumenti Religioni Catholicæ ex ea prouenire possit disquiramus.

Primò cum aduersæ Religionis hominibus esset ineunda, qui procul dubio pari vinculo nos ad suam sectam in locis sibi reseruatis conseruandam adstringerent; & hoc forte indecorum indicaretur, deinde nescimus quanto talis confœderatio nobis damno esse possit, qui vberiores pro Catholica Religione stabilienda conditiones à Rege nostro (si pax concludenda esset) exspectare non possemus,

quàm quas priuata illa confœderatione cum Protestantibus inita ipsi statuimus.

Fatereà talis confœderationis natura requirit, vt nulla pars in alterum ius habeat, & sic in principatus partim Catholicos, partim Protestantes diuisa Hibernia, nec bellum, nec pacem habitura esset.

Redeamus ad inducias quas Religioni Catholicæ in Momonia vtiles pro tempore futuro, multis ostendimus? nihilne est Cathedralem Cassellensem, & ad vsque limites Comitatus Corcagiensis Ecclesias profanatas, & illius tractus decimas nostro Clero conseruasse incolumes vt (pro induciarum tempore) securè Deo illic inseruire possint omnes Catholici.

Scimus profecto Sanctitatem suam pro suâ prudentiâ & in Religionem Catholicam, & Regem nostrum studio existimare melius vtrique consultum esse, si omnia oppida, fortalitia, naues, apparatusque bellici, qui apud hostes sunt, in manus confœderatorum deuenire possint, & cui alteri incubuimus curæ? quid aliud tanto nostratum cruore æstate præterita effuso acquirere studuimus?

Sicut Sanctitatem suam ægrè laturam inducias cum hoste protestante sine necessitate, sine vtilitate contrahendas fore scimus, ita his datis, prout in primo responso clarè patet, non dubitamus Sanctitatem suam illas approbaturam, eo magis quod Regis partes amplexantem D. de Inchiquin prætulerimus.

Per Illustrissimam D. V. ac Reuerendum Scarampium sæpius suæ Sanctitatis nomine ad Dublinium capiendum excitati fumus, etsi hoc tunc fieri posset, nec Proregis authoritas, nec ob æquium in Regem, quod illa certe actione diminui non poterat, obstitissent. Sed si statũ Hiberniæ vt tunc erat, memoria repetat Illustrissima D. V. inueniet nos (licet inducia cum Marchione facta illius vires diuertissent) reliquis tamen hostibus vix pares. Quod dicit D. V. Illustrissima exteros Principes, & ipsam Reginam nostram, & Serenissimum nostrum Principem forte existimaturos declarationem illam D. de Inchiquin viri versatilis fictitiam; certe nos illam talem esse non existimamus, ea potissimùm adducti ratione, quod illius iurati hostes Parlamentarij sint & Independentes: sed si talis esset, tempore tamen opportuno pro Catholicis facta est, qui sub illa saltem specie possunt necessitatibus suis consulere, & contra hostes nostros se profitentes Parlamentarios bellum vnitis viribus mouere.

Dicit etiam Illustrissima D. V. si Ionesexercitu nostro Dublinium appropinquante ad Regis partes se transire fingat, inducias etiam cum illo eadem nos de causa facere debere, ad hoc licet minimè sperandum sit Colonellum Ionem, qui è sorte humili ad hoc dignitatis culmen à Parlamento euectus est, alias partes amplexaturum. Nos tamen non

adeo sumus stupidi, vt pro rerum nostrarum statu hunc fictæ, illum veræ profiteri non asseramus, nec obligamur eo solum titulo inducias cum vnoquoque in Regis partes transeunte, facere: neque hoc diximus, hos tamen præferendos & conuentus generalis statuit, & nos censemus.

Inducias rum, vt verè dicit Illustrissima D. V. meliores essent conditiones, si dum illæ tractantur, exercitus in Momoniam posset mitti: nos idem sentimus; sed vnde, aut quo tempore talis contrahendus sit exercitus? quid de illo iam sæpius deuastata, & militum ebnoxia insolentiæ Momonia sentiat inquirendum? hostis paratus est, & intra paucos dies vel nouum tributum, vel noua clades, & miseria imminebunt illi prouinciæ.

Dicit Illustrissima D. V. se à plerisque de supremo Concilio, præsertim ab Illustrissimo Limericensi audiuisse Concilium in eam sententiam deuenisse, vt exercitus mitteretur contra Inchiquin: quòd hæc veræ sint quæ ad Illustrissimam D. V. deferebantur, res ipsa confirmauit. Eductæ sunt equitum turmæ ex Lageniâ, tres legiones peditum ex Vltoniensi exercitu, & vna ex Lageniâ in illud opus destinatæ sunt: equitatus etiam Momoniensis, & vna peditum legio adducti, electi etiam è supremo Concilio, qui in illa expeditione Generalem comitarentur ad Cassiliam, exercitus præfecti, & Primarij Duces Concilium

bellicum de rebus agendis inierunt: atque instrumento communi ab omnibus subscripto ad nos misso asseuerarunt expeditionem illam aduersus hostem equitatu pollentem, & in præsidiis propè positis residentem defectu commeatus, quem ad alendum exercitum illum in Momonia procurare non poterant, esse tenerariam: & ex illâ posse damnum aliquod graue euenire Confœderatis Catholicis. Erant in hoc concilio ex omni prouincia Duces, & hac eorum sententia, quapropter in Hybernas stationes exercitus ille dispersus fuit. Ex his patet vera fuisse quæ Romam scripserat Illustrissima D.V. etsi hæ rationes, hæc consulta militum Romam scribantur, satisfaciet officio suo Illustrissima D. in cuius potestate, si-cut nec in nostra non erat omnia ad illam expeditionem necessaria subministrare hæc ad vlteriorem Illustrissimæ D.V. satisfactionem scripsisse sufficiat.

Fusiora hæc fateor, Alithophile, quam pro Synopsi, proindéque iustæ historiæ scriptori reseruanda videbantur, ea tamen huc inferere visum tanquam totius, quâ de hic agitur, controuersiæ basim, vt vel inde obuium habeas vtra partium rationibus prævaluerit.

CAPVT NONVM.

Propositæ quædam induciarum conditiones à 14. Episcopis reprobantur. Sed iis immutatis supremum Catholicorum Concilium inducias fœdus absoluit, ac firmat. Nuntius cui illa cordi non essent Kilkennia profugus cum paucis Episcopis excommunicationis sententiam in eos fert, qui illas acceptarent etiamsi de supremo Concilio essent, & nomine quod articuli iam à 14. Episcopis damnati essent, quod quidam ex illis 14. Episcopis publico instrumento falsum esse demonstrarunt.

COeptæ interim Concilij proceres cum Barone tractationi insistunt, cuius informe quoddã, & rude tentamentum cum Reuerendissimo Nuntio iam antea Kilkenniam reuerso, vnâque aliis nonnullis regni Prælatis, quos eò acciuerat, ostensum esset: declarant illi id sibi improbari, nec se posse nec velle eiuscemodi pactis in inducias consentire. Extat instrumentum illud 27. Aprilis editum, & à quatuordecim tam Episcopis, quàm Archiepiscopis subscriptum.

Eâ re comperta Concilij Proceres tantùm labore, ac industriâ contendunt, vt in articulis induciarum non solùm con-

scientiæ, & religiosarum functionum plenæ libertati, sed & temporalibus Cleri commodis conceptis verbis prospectum esset. Quod & manifestum est exipsis induciarum pactis postmodùm absolutis, ac partis vtriusque subscriptionibus munitis, vicesimo Maii, anno 1648. necnon impressis ac publicatis Kilkenniæ 22. eiusdem mensis, quorum secundus & quintus articulus (alios enim merè politicos adeóque nihil ad institutum facientes prætereo) latinitate fideliter donati hîc tibi subiiciuntur.

Secundus inducia-rum artículus.

Conuentum est, & conclusum inter partes, vt nemo fœderatorum Catholicorum siue Clericorum, siue Laicorum molestiam vllam, aut impedimentum à dicto Domino Barone de Inchiquin, aut à quoquam alio partis eius vno, aut pluribus, in, aut propter liberum religionis, aut functionis exercitium, durante dicta armorum cessatione patiatur: præsidiis, & locis iam nunc à dicto Domino Barone de Inchiquin, eiusque parte possessis, solum exceptis. Quibus verbis eximit se Baro à libertate conscientiæ harum induciarum vi Catholicis locorum ab ipso iampridem possessorum incolis concedendâ, quanquam aliundè certum esset, eos etiam ea libertate, etsi minus apertè conscio & consentiente Barone frui solitos.

Quintus.

Conuentum est vt actualis ac præsens bo-

norum

norum vtriusque partis tam Cleri, quàm Laicorum, possessio eadem continuetur ac perseueret, qua ab inchoata huius cessationis tractatione erat; vsque nec Clerus, nec populus partis alterutrius perturbetur, vllamue, dicta cessatione durante, molestiam patiatur in actuali possessione quam tunc habebat: ea duntaxat lege, vt qui se harum induciarum conditionibus submiserint, usque conformiter vixerint, tributa, reditus, aliaque publica onera soluere non detrectent.

His obtentis in fauorem Religionis & temporalium Ecclesiæ commodorum, satis se pro conciliandis sibi Reuerendissimi Nuntij & Cleri animis fecisse rati, cessationem concludunt.

Prius tamen quàm id factum esset, cùm hanc Concilij sententiam præsensisset Reuerendissimus Nuntius, quasi indecorum honori suo esset tali publicationi adesse, Kilkennienſi vrbe ordinariâ Catholici fœderis sede, vbi ab vniuersis tantùm non adorabatur, clam aufugiens ad Eugenij Oneillij Vltonienſis exercitus ducis castra peruenit, missáque 7. Maij, anno 1648. Epistola, illius suæ fugæ, quam modò memoraui, causam reddit. Concilium re cognitâ, scriptâ 11. eiusdem mensis Epistolâ, de inopinato eius discessu cum ipsomet expostulat, ad reditum quàm humanissimè inuitat, rogat vt vnionem

ide has
mnes
pistolas
liaque
ōpluria
n tracta-
ionis dia
io apud
Louven.

fœderatorum illæsam in omnibus, ac inviolatam velit, Renuit ille ad vrbem regredi, ac post multas vltrò citróque missas legationes, & epistolas: posteaquam varias eius sibi reconciliandi vias Concilium tentasset, 27. Maij decretum excommunicationis comminatorium per Dionysium Massarium Decanum Firmanum auditorem Reuerendissimi de mandato ipsius, Ecclesiæ Kilkennienſis valuis affixum rescit, in Theologos omnes & Canonistas qui suâ sententiâ armorum inducias probarent, ac ne fulgur hoc absque tonitru, & fulmine esset, ipsemet Reuerend. Dominus eodem die hanc cuius formam subiicimus, excommunicationem in procerum Concilii, omniumque ipsis in cessationis negotio obsequentium capita iaculatur.

EXCOMMVNICATIONIS SENTENTIA.

Nos Ioannes Baptista Rinnuccinus Dei & Apostolicæ sedis Gratia Archiepiscopus & princeps Firmanus, ac in regno Hiberniæ Nuncius Apostolicus extraordinarius.

Nos Episcopi ad effectum de quo infra specialiter delegati & subdelegati.

Cum iam compertum habeamus, die vi-

gesimo secundo Maij instantis publicatam fuisse armorum cessationem inter supremum concilium Catholicorum confœderatorum & Dominum Baronem de inchiquin, in qua multi sunt articuli, prius ab omnibus Archiepiscopis & pluribus Episcopis huius regni coram nobis Nuntio Apostolico congregatis, maturè ac diligenter discussi & tanquam iniusti ac iniqui per eosdem die 27. Aprilis (nemine excepto) damnati, pro vt constat ex declaratione per supradictos Prælatos eadem die 27. supremo concilio præsentata, vt religionis Catholicæ augmentum, Ecclesiæ libertas, & bonum huius regni ad Dei omnipotentis gloriam, ac Innocentis populi conseruationem prosperentur. Nos Ioannes Baptista Archiepiscopus firmanus, & in regno Hiberniæ Nuntius Apostolicus extraordinarius, Apostolicâ authoritate, & nos eorundem Archiepiscoporum, & Episcoporum authoritate delegati, & in defectum delegatorum subdelegati, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus, & quibuscumque tam Ecclesiasticis quam secularibus in quacumque dignitate, & præeminentia constitutis præcipimus & mandamus, ne prædictam cessationem quoquo modo per se, vel per alios, directè, vel indirectè, consilio, auxilio, vel fauore foueant, aut defendant: nec non sub eadem pœna præcipimus omnibus, & singulis Generalibus,

Colonellis, Ducibus, officialibus, militibus, & quibuscumque aliis Catholicis, ne cum prædicto Domino Barone de Inchiquin, vel quocumque alio hæretico se se jungere, aut quouis alio modo ex superius enarratis, eidem, vel eijdem adhærere præsumant, vel audeant arma sumere contra exercitum, siue exercitus Catholicos dictam iniquam cessationem impugnaturum, vel impugnaturos, cui etiam pœna eos omnes & singulos subiacere volumus, & decernimus, qui prædictam cessationem iam acceptarunt, etiam si sint de corpore ipsius supremi Concilij, si ipsam vlteriùs quouis modo, vt supra fectentur, aut pertinaciter defendant, nisi intra nouem dies à notitiâ habitâ præsentium, etiam pervisos fide dignos, resipuerint: quorum tres pro primo termino, tres alios pro secundo, ac demùm tres vltimos pro peremptorio termino constituimus, & assignamus: omnes vero communitates, siue vrbium, siue oppidorum, vicorum, aut pagorum si prædictam cessationem acceptauerint, vel acceptam, vt supra, quouis modo defenderint; nisi intra nouem pariter dies, vt dictum est superius, resipuerint, Interdicti pœnam & cessationis à diuinis incurrant, districtè præcipiendo mandantes, vt omnes religiosi cuiuscumque Ordinis, etiam societatis Iesu, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, etiam missionariorum insolabiliter prædictum interdictum obseruent. Man-

damus insuper omnibus Vicariis generalibus & Capellanis exercituum vt his literis visis, siue impressis, seu habitâ earumdem copiâ manu cuiusquam Episcopi vel Notarij Apostolici subscriptâ, eas statim sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & aliis nostro arbitrio iniungendis, in ipso exercitu publicent: Vicarius autem, siue Curatis, & quacumque ratione curam animarum habentibus, vt sub eadem pœna primo die festiua inter missarum solemnia populo publicare, & in foribus Ecclesiæ eas affigere teneantur. Si qui vero contra attentare præsumpserint maledictionem æternam se nouerint incursuros. Datum Kilmensi, die 27. Maij, anno 1648.

Ioannes Baptista Archiepiscopus
Firmanus Nuntius Apostolicus.

Emerus Clogherensis, Fr. Boëtius Rossensis, Rob. Cloüanensis & Coragiensis, Fr. Arth. Dunensis & Con. Octauianus Corona Cancellarius.

Cæterùm in hac excommunicationis forma tria notare operæ pretium fuerit: primum est quatuor Episcopos qui cum Reuerendissimo Nuntio huic decreto subscribunt, asseuerare id se tanquam à Prælatis qui declarationem 23. Aprilis signis

suis probauerant, delegatos aut subdelegatos, facere, cum tamen toties rogati, ac conuenti, nullum vnquam eius delegationis aut subdelegationis instrumentum voluerint, aut potius valuerint, aut potius valuerint, ostendere: aliundè vero nequiuerint alios regni Episcopos, populosque eorum iurisdictioni (vt de propriis singulorum gregibus nihil definiam) subiectos, tanta pœna ipsis eorum pastoribus inconsultis, & insciis mulctare.

Secundum est hoc excommunicationis decretum, non alio niti fundamento, quam declaratione 23. Aprilis à quatuordecim Episcopis edirâ, & signata, etsi declaratio illa non contra articulos cessationis, vt re ipsa conclusi sunt, sed contra quoddam eorum informe tentamentum prius sibi ostensum, à prælatis illis edita fuerit.

Tertium cessationem illam non concluisse concilium nisi acceptis prius comitiorum Lageniæ & Momoniæ prouinciarum (quarum maximè eius rei intererat) eum in finem habitorum concordibus pro eâ incundâ suffragiis, quæ duo postrema ex hac quorumdam eorumdem ipsorum prælatorum qui declarationi 23. Aprilis subscripserant, posteriore declaratione perspicuum est.

Declaratio pro seductis in viam veritatis reducendis edita à Prælatis super causa cessationis armorum cum D. Barone de Inchiquin inita & à D. Nuntio, eique adhærentibus Episcopis, tanquam à quatuordecim Episcopis damnata esset, traducta, etsi aliter res habet, vt vel ex hoc instrumento Patebit.

Quando quidem iustum est & necessarium in hoc rerum conflictu veritatem declarare; nos infrascripti per hæc testamur ac fidem facimus quod declaratio 23. Aprilis anni 1648. à quibusdam huius regni Episcopis subscripta, neque est, neque inquam fuit edita contra Cessationem armorum qua postea inter fœderatos Hiberniæ Catholicos ac D. Baronem de Inchiquin conclusa fuit & publicata 21. Maij Anno 1648. verum contra certos quosdam articulos, ex iis qui exhibiti fuerant dicto mense Aprili, quique postea mutati & emendati fuerunt. Testamur quoque nunquam nobis in animo fuisse cessationem armorum cum dicto Barone de Inchiquin factam improbare, aut vllo ei nomine intercedere: cum ex suffragiis & sententiis congregatarum Momoniæ & Lageniæ Prouinciarum eum in finem expressis & exhibitis, illamque cessationem cum dicto D. Barone inire cupientium, ac flagitantium,

euidenter nobis innotuisset, eam Catholicis partibus, non vtilem modo, sed & necessariam fuisse, & vero innumera damna calamitatesque propè infinita, quæ ob eius violationem vbique per vniuersum regnum emerserunt, tantam eius concludendæ seruandæque necessitatem extitisse liquidissimè commonstrant. In cuius veritatis fidem ac testimonium huic subscripsimus, Kilkenniæ 23. Ianuarij anno 1649.

Ioannes Archiepiscopus Tuamensis.
Franciscus Episcopus Alladensis.
Edmondus Episcopus Limericensis, &c.

CAPVT DECIMVM.

Ab excommunicationis sententia ad summum Pontificem Proceres appellant. Contendit Nuntius sententiam interim executioni mandandam ac sic appellationem aperte ludificatur. Vt igitur dissidiis obuiam iret Concilium, Catholicos omnes per literas sui officij admonet.

SEd qui excommunicationis fulmen conspeximus, non nulla eius effecta intueamur. Concilium e- visâ deliberandum censuit quid sibi agendum esset: licet enim

enim præcedētium Ecclesiasticarum censurarum indiscreto & prophano vsu effectum autumaret, vt non multum populorum animi, præsentibus essent turbandi, aliundè verò non deessent exempla quibus censurarum, etiam ab ipsis summis Pontificibus super re merè politica profectarum rationem nullam à quibusdam principibus, rebusque publicis habitam esse constaret; adeóque multò minus curandum esse videretur, de hoc Nuntij insolente ausu, maximè cum non solum præter, sed contra sanctitatis votum eum agere pro indubitato haberetur; tamen vt sancta sedes etiā in Ministro durius atque incautius agente ab hibernis suspiceretur, teneriſque priuatorum quorundam conscientiis scrupulus omnis adimeretur, appellationem interiicere visum proceribus, quam & intra præscriptum à lege tempus in debita iuris formā factam significant.

Appellationem verò illam per concilii proceres à Nuntij sententia ad summum Pontificem interiectam tam suo quàm fœderatorum omnium sibi in cessationis causa adhærentium nomine, hic apponere supervacaneum duxi, vt potè quæ Kilkenniæ Prælo mandata, cuilibet obuia est, præterquam quod tumultuario hoc scripto tam prolixitate suā, quam fastidiosis canonici iuris loquendi formulis, ac

repetitionibus, quibus scatet, inserta, lectorem tædio afficere posset. Satis fuerit monere à concilio fusè exponi quod excommunicatio illa tam in materia peccat, quam in forma. In materia quia cum protestantibus, cum hæreticis, cum turcis etiam infensissimis christiani nominis hostibus inducias facere, fœdera inire, ac pacem quibusdam locis ac temporibus concludere, saltem vbi id non solum sine Ecclesiæ detrimento, imo eius magno commodo fit, nullum peccatum est, multoque minus mortale, quod vnum legitimam excommunicationis materiam omnes vulgo existimant. Id verò patet ex tot induciis ac fœderibus à Christianissimis Galliarum regibus, tam cum Caluinistis suis subditis, quam cum Batauis Hispaniarum Regum natis subiectis, tam ab iisdem Gallis, quam ab hispanis ipsis toties initis, ac tamdiu inuiolatè, seruatis: vt patet ex fœderatione Caroli huius nominis quinti germanici Imperatoris hispaniarumque regis cum Henrico octauo iam ab Apostolica sede excommunicato, ac denunciato, contra Francisçum primum Francorum regem initâ: vt patet, addidcrim ego, ex nupera pace à Philippo quarto Hispaniarum Rege cum iisdem Batauis suis ante hac, & maiorum Regum legitimis subditis conclusâ, ac ratâ, pace,

Vide ovium ib. 44. & pondan. d anno 543. ndict. III.

inquam, qua & quietem perpetuum Potens ille Monarcha, & verò libertatem integram huiusmodi populis ita concessit vt non solum de Ecclesiasticis prædiis Ecclesiæ reddendis cum iis non conuenerit, sed nec de ipsa conscientiæ libertate, vel tacita, & occulta Catholicorum in suis terris tolerantia cum iis pactus fuerit; vt patet demum ex nuperrima pace Germaniæ inter Ferdinandum tertium Imperatorem Germanicum, & Suëcos protestantes, eorumque socios conceptâ, iisque conditionibus expressis conclusâ, vt quæcumque Ecclesiæ patrimonia per Catholicos à protestantibus ab huius seculi anno 24. recepta esse constiterit, ea omnia & singula iisdem protestantium Partium hominibus quamprimum restituantur, quod & reipsa plerisque in Germaniæ locis iam impunè factum vidimus, & in dies, nihil contra molientibus Apostolicis Nuntiis, factitari videmus. Se igitur grauissimâ iniuriâ affectos queruntur Catholici ordines, qui licet non solùm conscientiæ & religiosarum functionum libertati, sed & Ecclesiasticorum bonorum conseruationi iis armorum induciis prospexerint, *excommunicatione tamen feriuntur, eoque nomine subditi ab ipsorum Imperio absoluuntur*: etsi viri sunt cæterà non solùm nobiles, sed & probi, liberis ac legi-

timis Superiorum Comitiorum suffragiis ad regimen pro tempore moderandum constituti.

In formâ etiam peccare sententiam illam contendunt ordines Catholici, cùm nec vocati, nec auditi, nec sponte confessi, nec de vllo crimine conuicti, nec demùm priùs moniti, à fidelium communione, absciſſi prætendantur, eâ duntaxat ſpecie, quod cum duce quamlibet homine proteſtante, indigenâ tamen primariaque regni nobilitate oriundo, qui cum à communibus hoſtibus nuper defeciſſet, ad regias partes tranſierat, fœderationemque & vnionem armorum cum Catholicis pro communis hoſtis excidio petebat, honeſtis, ac neceſſariis etiam Eccleſiæ conditionibus, etſi reclamante Nuntio, clerique parte ipſi adhærente feciſſent, ſunt & alia compluria quibus ſe oppreſſos queruntur, in illa appellatione tacta: ſpeſque illis erat Reuerendiſſimum D. N. ſupremo, ac communi iudici ſummo ſcilicet pontifici honorem habiturum: nec dubitabant quin appellationi, tam iuſtæ tam neceſſariæ incunctanter deferre, quam Catholicæ Reipublicæ viſcera per exitialem Religioni ac nationi diuiſionem laniare ſatius duceret. Verum ille leui quadam, ne dixerim friuolâ *quoad effectum non ſuſpenſiuum, ſed deuolutiuum*, di-

stinctione adhibitâ, appellationem non tam admisit, quam irrisit: ac si in omni iurisdictione tam laicâ quam Ecclesiasticâ appellatio ad potestatem superiorẽ executionem sententiæ, etiam latæ ab inferiore non suspenderet, qua si non esset is proximus, vt aiunt, ac naturalis appelationis finis: appellatio enim inuenta est ad leuamen oppressorum: quasi ridiculũ non esset quod in sua aggrauatione posuit Reuerendissimus Nuncius *periculum esse in mora si censurarum effectus suspenderetur?* Quasi iudex quilibet subalternus duriùs in reum animaduertere cupiens, hoc aditu semel aperto, non posset similiter prætexere periculum esse, ne vel effractis ille ergastulis, debitam euadat pœnam? Certè non ita visum Festo, qui etsi Paulum Hyerosolimam iudicandum remittendo Iudæos sibi deuincire perquam cuperet, auditis tamen istis Apostoli verbis, *Cæsarem appello*, eâ in secularem maiestatem religione fuit, vt parum cunctatus responderit: *Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.* Rebus ita distractis, plurima concilii Procerum angebant animos, non enim latebat plerosque è clero omnibus Reuerendissimi Nuntij molitionibus, operâ, consilio, ac industriâ affuturos: ille enim conferendorum Ecclesiæ beneficiorum, etiam ipsorum Sacerdotiorum, potestatem ab

Cap. 20. ex de appell.

Act. 25.

initio prius scilicet quam qualis esset plenè innotuit nullo penè reclamante integram vsurpauerat : vnde factum, vt quò quisque ambitiosior eò ipsi addictior esset, à quo quippè vno votorum cumulum adepturum se speraret. constabat aliundè Eugenium Oneillium Vltoniensium copiarum ductorem ab omnibus pacis consiliis alienissimum, adeoque ipsi deuotissimum esse; ac proinde Catholicarum copiarum lectissimam partem ita à communi causà abstrahendam sub religionis specie Reuerendissimi Nuntij nutum secuturam, quo futurum præuidebant vt Catholicæ vires sic primum diuisæ mox sibi commissæ inter se digladiando æstatem nationi, ac religioni funestam, hostibus lætam transigerent. At cum nullus resiliendi ab induciis, datâ iam fide publicâ peractis, ac solemni insuper publicatione cõfirmatis, reliquus esset locus: nec si hoc liberum esset, tot hostibus simul inuadentibus resistere possent: quod è re sua esse videbatur fœderatos omnes officii monendos esse, ac reliqua diuinæ prouidentiæ committenda censuerunt: quem in finem subiectam declarationem vernacula lingua editam emiserunt.

Per supremum fœderatorum Hiberniæ Catholicorum Concilium.

Nos supremum fœderatorum Hiberniæ Catholicorum Concilium, non sine intimo doloris sensu ob populi calamitates variasque iniurias, regni huius iam nimis afflicti, nouis miseriis opprimendi vias: Inter curam quam fœderatorum omnium Catholicorum salutis, & prosperitatis habere tenemur, & Reuerentiam quæ à nobis debebatur, & abundè semper exhibita fuit D. Archiepiscopo Firmano Sanctitatis suæ in Hiberniæ regno Nuntio Apostolico extraordinario, quasi ex æquo vtrimque distracti, ac suspensi, diu vacillantes hæsimus; Verum cum nobis demum innotuerit dominationem suam paucorum hominum priuatis rebus plus æquo addictorum, subiectionis cuiuslibet impatientium, ac præsidia omnia quibus pax ac tranquillitas, etiam Religioni Catholicæ quantumlibet vtilis, ac secura, acquiri posset, contemnentium, suggestione, iis insistere consiliis, ex quibus euidens & ineuitabilis huius nationis ruina sequeretur: nec rationum momentis, nec seriis ac sollicitis precibus eiusmodi consilia mutare, aut auertere possemus; compulsi tandem sumus fœderatos omnes Catholicos, quorum vitæ, ac fortunæ sollicitudini nostræ commissæ sunt, monere, ne posthac vllis ad

generis iniquis prætextibus aut suggestionibus aurem præbeant, aut fidem illis, ullisve super illis fundatis præceptis, aut processibus, ab ea, quam mandatis nostris debent, obedientia ullatenus se abduci, aut diuerti patiantur. Ne secùs facientes, & semetipsos in confusionem, & totum regnum in fatalem iam ipsi, quam sibi diuisionem ac distractionem præcipitent.

Exemplar nupera declarationis contra armorum inducias pro communi bono, & incolumitate, nostrâ authoritate factas, à paucis Episcopis coram Dominatione suâ congregatis (etsi contrà sentientibus eorum quibusdam spectandæ vitæ, & eminentis doctrinæ, licet, quod moris est, maiori numero eidem declarationi subscribendo, obedierint) hodiè de mandato D. Nuntij ac Dominorum Episcoporum Clogherensis, Rossensis, & Corcagiensis affixum & diuulgatum, nos demum inuitos compulit ad regni honorem hac publicâ declaratione vindicandum, monendosque tempestiuè fœderatos Catholicos plurium malorum in quæ, nisi sibi prospiciant, ex hac occasione præcipites incident: quandoquidem nunc exploratum habemus quod Dominus Nuntius, contra piam & paternam erga nos suæ Sanctitatis propensionem, qui Religionis Catholicæ propagationi studere, qui debitam Regiæ Maiestati obseruantiam præstare, qui denique conseruandæ inter ipsos fœderatos Ca-

tholicos paci, & concordiæ (hos enim missionis suæ præscriptos sibi fines & habet, & habere se toties professus est) iugiter inuigilare debuerat, is ipse nullam non tentat viam, qua nos aliorsùs nosmetipsos diuidat, & in mutuam perniciem animet; alioqui enim fieri non posset, vt prædictæ declarationis publicandæ necessitas, aut vsus vllus, nunc esse crederetur ad reijciendas inducias, cum in iis nos concludendis libero Religionis & functionis nostræ exercitio, nec non etiam temporalibus Cleri possessionibus, vt ex ipsis articulis patet, plenè prouiderimus. Imò verò vt constat ex propositionibus quibusdam merè temporalibus, ac omnino politicis quas etiam ad nos submisit D. Nuntius per Patricium Brien, & Galfredum Baronium; quasi hæ solæ conditiones essent, quibus adhibitis, inducia illa in conscientia tuta, cæteroqui intuta, habenda essent; quibus nos, quam abundè satisfecerimus, tam ex ipsis, quàm ex subiunctis nostris responsionibus, vtrisque prælo mandatis, perspicuum est. Quibus omnibus non obstantibus, cùm miseriarum, quibus oppressus ingemiscit populus, nullus deinceps, nisi fortè resistentibus nobis, sperandus videatur modus, aut finis, protestamur, nec posse nos, nec velle commissam nobis regni gubernationem deijciendam, aut conculcandam tradere, aut vllo modò permittere, vt negotia omnia cuiuscumque tandem natura sint, & conditionis.

QVASI IN ORDINE AD SPIRITVALIA, ad

Ecclesiasticum tribunal deuoluantur ; quod tamen necesse est vt eueniat, si nobis nonnisi obcentâ prius veniâ, licet, aut inducias concludere, aut exercitus ad expeditiones destinare, aut Duces iis præficere, aut legatos mittere, aut publica munia in ciuili regimine probatæ integritatis hominibus committere. Porro nos decreuimus præsentem nostrum statum sua Sanctitati exponere, eique (quod hac declaratione facimus) quam humillimè supplicare, vt eiusce modi, quibus [illegible] implicamur malis, mederi dignetur, decisionem casus conscientiæ, qui his armorum induciis aduersari prætenditur, ad se tanquam ad potentissimum, naturalissimum, ac integerrimum [illegible] iudicem euocando : ad cuius proinde sacrum tribunal nomine fœderatorum omnium huius regni Catholicorum appellamus. Eosdem interim Catholicos maturè, & salubriter præmonentes nulla molimina, aut acta Domini Nuntij, aut aliorum quorumlibet, in hac, aut simili causa obedientiam, quam vi iuramenti associationis, aut alio quouis titulo mandatis nostris debent vllatenus minuere posse, aut valere. Datum Kilkenniæ 27. die mensis Maij 1648. & subscriptum.

Montgarret, Athunry, Alexander Macdonnell, Lucas Dillon, Robertus Lynch, Phelim ô Neillius, Richardus Belings, Geraldus Fenell, Patricius Brien, Robertus Deuereux.

CAPVT VNDECIMVM.

Propositiones à Nuntio ad Concilium missæ, cum Concilij ad eas responsis. Eas propositiones mere politicas fuisse, vt vel hinc pateat Religionem obtentui habitam. Ossorienſis Episcopus, vna cum aliis Theologis scribit contra censuras.

IN hac declaratione mentio fit quarumdam propositionum à Reuerendiſſimo Nuntio poſt ſuam diſceſſionem ad Concilium miſſarum quoſdam enim ſui ordinis homines Concilium legauerat ad Reuerendiſſimum Dominum iam vrbe Clanculum profectum, qui ipſum ad reconciliationem & reditum tam traditis ipſius Concilij Epiſtolis, quam viuâ voce inuitarent. Reſcripſit primus Concilio, & ſimul quaſdam conditiones Legatis ſcripto tradidit, quibus conceſſis tam & ſeipſum, quàm clerum ſibi adhærentem, Eugeniumque, & vltonienſes copias in vnione permanſuros promittebat, vt patet ex eadem eius Epiſtola quàm præ manibus habeo, in quâ nonnulla de ſuâ propenſione in partium reconciliationem præfatus hæc ſubdit.

Vtraque Epiſtolâ extat in eo quod penes Rovveũ eſt Concilii Diario.

In eum finem, inquit, *auditis commissariis. DD.VV. Illustrissimarum, curaui vt ab Episcopis, qui sunt hic mecum, & D. ipso Generali aliquot propositiones scriberentur quæ ad securitatem Cleri spectare possunt. In iis quantum ego capio, videntur res ex vtraque parte concurrere ad concordiam, cum vnaquæque aliquid de suo remittat, vt fieri solet, quas vehementissimè cupio à Dominationibus vestris Illustrissimis recipi & approbari*, &c. Hæc ille. Vt autem appareat quales fuerint illæ propositiones & conditiones ipsas, hic tibi exponendas duxi, Alithophile. Liberum tibi de earum vtilitate ac iustitia vt & de Concilij ad eas responsis, iudicium relinquens.

Conditiones ac remedia tam Clero quam aliis sibi adhærentibus pro suâ securitate necessaria, vt armorum cessatio cum Domino Barone de Inchiquin saluâ ac tutâ conscientiâ concludi possit.

Primo, Concilij supremi Proceres iureiurando se obstringent, *quod nec ipsi nec alij quilibet eorum impulsu, vel auxilio directè, vel indirectè vllum aliam pacem introducent, quam illam quæ vltimorum generalium Comitiorum suffragiis consentire declarata*

est, cuiusque obtinendæ cura commissa est oratoribus, tam Romam, quam Gallias, & Hispanias eo fine profectis. Iurabunt iterum se intercessuros omnibus, & singulis cuiuscumque ordinis, & conditionis hominibus qui contrarium quouis modo, aut prætextu attentabunt, suumque hoc Iuramentum publicâ declaratione confirmabunt.

2 *Viros* æquos de Confœderatorum Catholicorum numero exercitibus Lageniæ, & Momoniæ Prouinciarũ præficiendos curabunt.* Indifferentes.

3. *Vltoniensem exercitum ad aliquam idoneam regni expeditionem applicabunt, stipendia ei, sicut & aliis exercitibus pro portione soluent, illique de Hybernis in prouinciis Regni habitatis, in proximam hyemem prouidebunt.*

4. *Legiones Domini Baronis de Castellconel, Richardi Butler, Dauidis Roch, Moriarthi ô Brien, & Donati Marc-carthy in exercitu conseruabuntur, & stipendia accipient.*

5. *Omnes & singuli militiæ tribuni, aliique exercitus duces stricto & expresso se se Iuramento obligabunt quod nec directe, nec indirecte, nec clanculum, nec manifeste, nec alia vlla excogitanda via, quidquam desiderabunt, sollicitabunt, procurabunt, aut acceptabunt in præiudicium Catholicæ Religionis, professorum eius, aut libertatis huius Hibernicæ nationis, aut quod vergat, aut credi*

possit tendere in eorum præiudicium, sine expressâ cleri licentiâ.

6. *Castella in possessione fœderatorum Momoniæ Prouincia Catholicorum, acnominatim Castellum in Maio Fluuio situm cum suo territorio in comitatu Kercyensi, ab omni iurisdictione, & contributione Domino de Inchiquin, aliisque omnibus hostibus soluendâ, quoad hæc cessatio durauerit, eximantur.*

7. *Clerus, & nobiles Prouinciæ Momoniæ, aliique omnes cuiuscumque conditionis Clero adhærentes, ad exercenda publica munia, præsertim ciuilia, ex condicto admittantur.* Hactenus de conditionibus.

Hic etiam candorem tuum obtestari compellor, ô Alithophile, an non hæ conditiones, quibus concessis sibi satisfactum iri pollicetur Reuerendissimus Nuntius, merè sunt politicæ nunquid tibi videtur, si quis in cessationis articulis contra Catholicæ fidei aut religionis augmentum esset scrupulus, quod eius hic præcæteris expunctio flagitanda fuerat? certè nulla harum conditionum est, vt aliquis cessationis articulus tanquam in fidei, aut Ecclesiæ præiudicium conceptus, deleatur, aut mutetur, ex quo Religionis negotium, aliis molitionibus obtendi potius, quam sui causâ vrgeri ad oculum patet. Quod vnicum etsi notasse satis esset, Concilium tamen superioribus

conditionibus quæ sequuntur, ordine respondet, quæ & ego à te expendi velim.

Supremi Concilij fœderatorum Hiberniæ Catholicorum, ad propositiones Illustrissimi D. Nuntij responsa.

Ad primam respondetur, rebus singulis in eà contentis iam à nobis, tam ipso associationis nostræ iuramento, quam postrema nostra declaratione (cuius annexum est exemplar) abundè satisfactum esse.

Ad secundam respondetur, nobis curæ fore, vt nemo cuiquam è nostris exercitibus præficiatur, quin sit, vir bonus, moderatus, æquus, & Catholicæ causæ fidelis promotor, quique huius rei sufficientia argumenta non præbuerit, & quò cautius, ac securius in hoc negotio procedamus, statuimus nonnulla huius ordinis membra ad exercitus legare, quorum consilio præfecti generales in rebus maioris momenti vtentur, nosque (si qua eius rei sufficiens causa, aut ratio immutuerit) quemlibet amouebimus eiusmodi præfectura exercendæ minus idoneum: acceptum habituri, si tempestiua notitia detur subesse aliquam exceptionis causam aduersus quemquam eorum, qui à nobis exercitibus aut hactenus præfecti sunt, aut in posterum præficientur.

Ad tertiam respondetur, tantum ac tales

Prouincia Vltonia exercitum quantum hic ordo expedire iudicauerit, idoneæ expeditioni destinandum: eius porro exercitus robur ex septem peditum millibus, & octingentis equitibus consistet; componetur vero ex legionibus peditum octo, videlicet Domini Generalis, Domini Vicecomitis de Iueagh, Phelimij O Neillij, Alexandri Mac-donnell, Rogerij Maguyres, Philippi Machugh O Reillij, tribuni Colonelli. *Mac-Mahoni, & de Tir-conel, & duabus equestribus, vna Henrici O Neillij, & altera Colonelli Ludouici ô Moores, & si qua sunt supernumeraria copiæ exanthorabuntur. Hic mentionem non facimus sub præfecti generalis Ferralli quem supponimus virtum Prouincia Conaciæ legatum.*

Quod ad expeditionem attinet ad quam hunc exercitum destinare conueniat, præterita eius dissidia effecerunt, vt minus tutum arbitremur, eum cum aliis exercitibus iungere, vnde nobis probatur, vt dum alij exercitus alia moliuntur, iste quoque aliquid sibi peculiare aggrediatur, Trymum videlicet, Dundalkum, Vadipontum, Neuurium, Ennischelinum, aut quamlibet aliam munitionem, aut propugnaculum hostile in istis partibus.

Quod vero ad alendum hunc exercitum spectat, nobis placet (postquam de rebus ipsis earumque securitate modo inferius explicando conuentum fuerit) vt D. vestra huic exercitui ex

tui ex suppetijs à Sanctitate sua ad nos missis tantum soluat, quantum cum Vltoniæ contributionibus, & propriis armentis pro eo inter æstiuas expeditiones alendo satis erit: Hyberna autem, seu præsidia ipsi in proximam hyemem, sicut & alijs Catholicis exercitibus regni impensis æquitate nos seruata procurare studebimus.

Porro quemadmodum bono pacis, & conseruandæ fœderatorum Catholicorum vnionis causa, ad pacta hæc & peculiares conditiones descendere, easque concedere consentaneum duximus, ita declaramus ea nos lege postulatis assentiri, vt securitas vicissim nobis detur, præfectum ipsum generalem, aliosque huius exercitus duces, & milites statis temporibus, imo quoties iussi fuerint, exactam ac promptam obedientiam omnibus tam generalium Comitiorum, quam supremi Concilij mandatis præstituros Iuramentum associationis, quod ad omnes eius partes seruaturos, denique eundem præfectum generalem, primoresque exercitus illius duces, quo suam erga nos, nostraque mandata obseruantiam manifestent, ante, aut die ipsa decima Iunii proxime futuri coram nobis se præsentaturos, vbi Iuramentum à nobis ipsis proponendum vtique Iuramento associationis consonum, eiusque confirmationem præstabunt.

Ad quartam respondetur, quod cum iam conclusæ sint induciæ, forte necesse erit exercitum Prouinciæ Momoniæ ad minorem militum numerum, quàm quo hactenus constitit, contrahere, nos vero cum Prouincialibus eiusdem Prouinciæ Comitiis de eius exercitus reductione & compositione consilium inibimus, in quo si forte minus æqui iudices apparuerint, nostram nos authoritatem, qua ad iusticiæ normam redigantur, interponemus.

Ad quintam respondetur omnes belli duces iuramentum præstaturos nostræ vltimæ protestationi consonum, eiusque confirmatiuum.

Ad Sextam respondetur Castello in Maino flumine sito, ita prouisum esse, vt in custodia illius, a quo nunc tenetur, durante hac cessatione, securum sit, quin & cætera castella intra limites Domino de Inchiquin assignatos suis possessoribus certa manebunt, ac secura.

Ad septimam respondetur neminem à nobis ad ciuilia Momoniæ Prouinciæ munia nominatum esse, quin Iuramentum associationis præstiterit, atque adeo iura nobilium, & Cleri eius Prouinciæ, totiusque regni teneatur deffendere.

Quod si qua sit exceptio erga ministrorum illorum quemquam, aut moderatior quisquam, aut aptior à Dominationibus vestris produci possit, aut indicari, vos eà de re deliberare, eamque pro eius magnitudine & merito perpendere, & in omnibus quantum

fieri poterit pro dominationum vestrarum satisfactione procedere parati sumus.

Hæc illis ad conditiones respondere visum, quæ suffeciſſent haud dubiè, si Reuerendiſſimus Nuntius solum Eccleſiæ commodum promouere, potius quam eius prætextu ciuile regimen inuadere, satageret, volebat scilicet vt Clerus sibi, quam patriæ, & religioni addictior contra Apoſtoli ſententiam in ſecularibus rebus miniſtraret: volebat vt exercituum duces ſuarum eſſent partium homines, volebat vt tribuni quidam ab omnibus pacis conſiliis affectu alieniſſimi in iiſdem exercitibus prævalerent, vt illis cum ſuis legionibus mox Eugenio iunctis, vnâ omnium ope eas ipſas inducias, in quas, obtentis quas poſtulaſſet conditionibus, conſentire videri voluit, alia quædam in tempus cunfingenda Eccleſiæ grauamina paulò poſt cauſaturus ſicut & pacem fecerat, aperta vi repudiaret. Quod eius votum, quia penetrauerat Concilium, ita quidem conditionibus ab ipſo propoſitis reſpondit, vt ſi ille Catholicæ religionis, fœderatorumque vnionis quam priuatæ rei amantior eſſet, ſatis ipſi feciſſet; ſimul tamen ne, quod anteà fecerat, totam reipublicæ adminiſtrationem induciarum occaſione denuò poſſet in ſe vnum transferre, ſuâ prouidentiâ cauit. 2. Ad Tim. 2.

Circa id tempus exiit opusculum à Dauide grandæuo Ossoriensi Episcopo viro pluribus titulis commendabili, aliisque pluribus diuersorum institutorum Theologis vulgari lingua conscriptum in quo illi quæstioni de censurarum iustitia ac validitate à Concilio sibi propositæ ex Doctorum maximè recentium, sententia respondent censuras quidem illas pluribus de causis in se nullas esse, ac etiamsi valerent, appellationis tamen interpositu validè suspensas.

CAPVT XII.

Censurarum occasione diuisi inter se Catholici: O Neillius Nuntij partes amplexus in Concilium arma mouet, ac crudeliter in Catholicos Concilio adhærentes grassatur; Athlonia tamen arx munitissima quam in potestate habebat, post longam obsidionem ipsi eripitur. Galuia tumultus à Nuntio excitatus: cruentè eius diploma, Concilij ad ipsum Epistola ad impediendam Synodi conuocationem.

QVM igitur Nuntius consilia sua dissipata videret, quod hac arte consequi non potuit, censurarū fulminatione (hæc enim quæ de conditionibus ab ipso oblatis ac eorum responsis retuli-

mus, ante emanatam excommunicationem peracta fuerunt) se consecuturum sperabat, nimirum vt omnes deserto Concilio ad eius partes transirent. Verum priorum censurarum abusus, indeque consecuta damna effecerunt, vt minor harum à viris etiam cæteràvaldè religiosis, ratio haberetur, nec deerant alii; qui, minus quidem quam par erat reuerenter locuti, *sua adeò induruisse crebris censurarum catapultis pectora dictitarent, vt ne maioris quidem excommunicationis tormento essent cessura.*

Porrò vnde hæc tanta censurarum contemptio Hibernicis animis insolens tam ex dictis hactenus, quam ex inferiùs, datâ occasione, dicendis facilè intelligetur: nihilominus quia ibi non desunt turbines, ac inquieti spiritus, qui, etsi quæ Religio Christiana? quis ipse Christus Dominus? aut quod à suis tanquam sibi gratum exposcat obsequium, vix probè norant, continuari tamen bellum multum suâ referre existimantes, Religionis specie in Reuerendissimi Nuntij partes multi discessetant, alij quod eius nutus sequendo Sacerdotia, aliasque Ecclesiasticas dignitates potius sperarent, quàm annexa ipsis onera pertimescerent: alij quod expulsis Anglis & Scotis, amplioresagros adipisci cuperent: alij quod puriorem ciuium san-

guinem tanquam debita militiæ ſtipendia exſugere appeterent, alij denique, etiam ex regni paribus nonnulli, aliiſque inferioris ordinis nobiles quamplurimi, ne ad alieni æris, quo obſtrictos ſe ſentiebant, ſolutionem tranquillis rebus cogerentur, pacem omnem etiam Religioni, & nationi quàm vtiliſſimam cum Anglis, & Scotis creditoribus ſui auerſabantur.

Horum omnium in auertenda pace coriphæus extitit Eugenius O Neillius Vltoniæ Prouinciæ viribus à Comitiis regni pridem præfectus, eâ tamen communi cum cæteris ducibus lege, vt Comitiis & Concilio pro tempore exiſtentibus ſe in omnibus obtemperaturum præſtito Sacramento ſanctiſſimè iurauerit, à quò fortè per Reuerendiſſimum Dominum abſolutus, declaratione vndecimo Iunij editâ, & in exercitus ſui fronte lectâ, Concilium, alioſque omnes ei obtemperantes hoſtes pronunciat, eiſque bellum indicit; quod quidem ille acrius quàm ante hac vnquam fecerat in communes religionis, & regni hoſtes, deinceps profecutus eſt.

Concilium ac fi id temerarium eius factum ignoraret, eum vt Kilkenniam ad ſe veniat, etiam oblatâ de libero eius reditu fide publicâ, per Epiſtolas inuitat: lectas ille primum lacerat, mox flammis tradit, ac nihil de cætero hoſtile in Ca-

tholicos cuiuſuis conditionis, & ordinis, Concilij imperio obſequentes, non exercet.

Proſcribitur demum à Concilio, ac mox in eum Catholicarum regionum etiam quia Kilkenniæ, vbi Concilium morabatur, adiacebant viſcera rapinis, cæde, flammis laniantem, immittuntur cum copiis Duces Præſtonius et Taaffus, à quibus Athloniam vſque primum, mox longius pellitur.

Eſt autem Athlonia arx totius penè inſulæ fortiſſima in Sinæo flumine regni amplíſſimo ſita, pontemque (quem vnicum præter Limericenſem habet fluuius ille) muniens. Hæc arx à quodam magauunio Reuerendiſſimi Nuntij artibus, reclamante, vniuerſo regni Conuentu, perfidè detenta, ſolius Eugenis ſecundum Reuerendiſſ. Firmanum, Imperium agnoſcebat: locus viſus pro ſtabiliendâ re ſuâ commodiſſimus, quippè qui in mediterullio penè regni conſtitutus in omnes Prouincias quouis anni tempore, aditum dabat, vndè & eius conſeruationi impenſè ſtudebant ambo, quod quò ſpecioſius ac tutius fieret, eo totius regni Clerum conuocare ſtatuerat Reuerendiſſimus Dominus, ad celebrandum, vt præ ſe ferebat Concilium nationale, eaque de re propoſitum ſuum Concilio aperit per

Epistolam datam Kilmensi 28. Maij an. 1648. postridiè scilicet eius diei, quo excommunicationem in eorum capita vibrauerat.

Concilium eiusmodi conuocationi eo maximè tẽpore & loco intercedit, ipsumque propugnaculum obsideri mandat, & expugnari, quod & demum, per Prestonium & Vlricum Clanricardiæ Marchionem (qui hactenus neuter, Concilij partibus post factas inducias accesserat) post alterum mensem non sine magnâ rerum omnium ac præsertim temporis iacturâ, factum, ac sic tandem dedita Athlonia Marchioni Clanricardiæ paulò antè quam Eugenius adesse potuit cum subsidiis, quæ in Vltoniæ finibus, contraxerat, nihil aduersantibus Scotis comitialibus, cum quibus inducias priuatâ authoritate pepigerat quò validius Concilium & reli. quos Catholicos aggrederetur. Quid plura totam illam æstatem qua Dublinium aliæque munitiones quas in regno tenebant Com tiales perduelles, vt potè rebus omnibus ad defensionem necessariis destitutæ, coniunctis cum Inchiquino animis & viribus capi poterant, intenti mutuis cædibus insumpserunt Catholici.

Porro Reuerendissimus Nuntius à spe conuocandi Athloniam nationalis Synodi depulsus, Galuiam se confert (emporium

rium est nobile in occidentali Hiberniæ oceano situm) vrbemque quòd inducias inuitis eius emissariis iam recepisset, malè mulctat, sacris interdicit, ciues inter se committit, Magistratus insignia à Prætoris vrbani domo per iuuenes quosdam, ac turbulentos Ecclesiasticos vi auferri curat, vnde secuti mox tanti in vrbe tumultus, vt nisi insignia Prætoris domum, vndè abrepta fuerant, propriis ipse manibus quàm maturrimè reportasset, ciues vniuersi bifariàm diuisi, inque se mutuo armati ac incensi mutuis vulneribus confossi cecidissent.

Tristis etiam erat ac miserabilis per vniuersum regnum rurisfacies, fratres siquidem vbique præsentes ex Imperio Reuerendissimi non solùm faces ministrabant proprio æstu furentibus, sed & quietos etiam homines interminatâ æternarum pœnarum gehennâ, nisi induciis renuncient, ad dissidium impellebant. Dabantur & seditiosis quibusque per Reuerendissimum Dominum arma à Magno Etruriæ Duce nuper missa, quibus in populares suos paci adhærentes sæuirent. Ac ne quidam tenerioris conscientiæ Catholici inducias admittere mallent, quàm censuris eà, quam exigebant fraterni sanguinis effundendi, lege, obedire, huic scrupulo sanguinariâ hac & ab Ecclesiastica man-

suetudine prorsus alienâ declaratione occurrit Nuntius.

In Dei nomine, Amen. Cùm circa vltimam nostram decisionem de publicatione cessationis à quibusdam obiectum esset, quod licet ad vitandam aliquam temporalium bonorum iacturam cessationem illam tutâ conscientiâ vulgare non possent, dubitatum tamen est ab ipsis, an id non liceret ad vitanda homicidia, quæ ex factâ ipsi oppositione sequi possent: Nos præsentium tenore declaramus esse peccatum mortale contra legem Dei, & Ecclesiæ eius, ac periurium contra Iuramentum associationis, inducierum illarum publicationem aut procurare, aut pati, atque adeò homines Catholicos ad temporalium bonorum libertatis, charorum omnium, nec non vitæ ipsius iacturam ferendam teneri potiùs, quàm eam publicent, aut ei obediant. Hic etiam sensus fuit nostrorum illorum in præcedenti nostro decreto verborum, nullomodo licet, &c. Et sanè probè nouimus homines non posse bona sua in hoc diffidio sine quorumdam, aut forte multorum, cæde perdere, in cuius rei testimonium propriis manibus præsenti subscripsimus 13. die Augusti 1648

Ioannes Baptista Rinnuccinus,
Ioannes Rapatensis, &c.

Inter hæc nihilominus Concilium nationale Galuiam indicit Reuerendiſ-

simus Nuntius ad quintum decimum, vt loquitur, Augusti anni 1648. extat illius indictionis diploma datum Galuiæ decimo tertio Iulij, cuius executioni semper insistebat. Monitum de re Concilium, datâ ad eum Epistolâ 26. Iulij dissentire se ab eiuscemodi Synodi conuocatione in præsens exponit, innuens & causas, quas etiam editâ biduo pòst declaratione, quâ Prælatis conuentu interdicit, fusiùs exponit; ni prolixior esset declaratio, eam huc inseruissem: Epistolam verò quia breuior est, luciscque nonnihil superioribus allatura, ponere visum.

Concilij ad Reuerendissimum Nuntium Epistola.

Illustrissime, ac Reuerendissime Domine, cùm Illustrissimam dominationem vestram nostris & precibus, & rationibus adductam à conuocandâ Synodo nationali, tempore, & loco [illegible] incommodis, rebus adeo distractis desistisse arbitrabamur, ad nos defertur illam breui Galuia conuocandam: quapropter, [illegible] muneri nostro deesse videamur, nobis nullo modo consentientibus id fieri iterum protestamur: quid enim ex illa boni Hibernia euenire poterit Illustrissima dominatione vestra præsidente, quæ authoritatem regni à Confœderatis Catholicis in nobis stabilitam iniurijs la-

ceſſit, & conſilio & armis deſtruere nititur, qua rebelles fouet, viris à Conuentu generali proſcriptis fauet, & implacabilem ſe vltro oſtendit, aut quid liberè Galuiæ tractari poteſt, vbi vndique circumſonant arma, & in dies à Concionatoribus in nos armatis nouæ excitantur tumultus, vbi Ioannes Bourg, & illi ſimiles Illuſtriſſimæ D. V. nutu, ſi non Imperio, conſcribunt milites, Confœderatorum ades, & caſtra capiunt, & ciuitati Galuienſi de noſtra cauſa optimè meritæ inſidiantur, ſi de cenſuris iniuſtis, & anteà tàm temerariè promulgatis illic agi velit, & viam inire, qua vel metu, vel authoritate, qua fungitur, alios Prælatos in ſuam ſententiam allicere poſſit, & errorem, qui adhuc penes paucos eſt, in plures diffundere, ſuæ Sanctitatis Reuerendum in terris nomen interponimus, ad illius thronum appellauimus, iudicem, qui partes agit, non admiſſuri, ac iam ad quartum diem proximi Septembris regni ordinum aſſemblæa, quam penes eſt ſummum regni poteſtas, indicta ſit, i lam de loco & tempore idoneis Synodo conuocanda conſulere expedit. Illuſtriſſimæ D. V. manus deoſcalamur.

Dunboyne, Luc. Dillon,
Rich. Blake, &c.

Kilkenniæ 26. Iulij anno 1648.

CAPVT XIII.

O Neillius Nuntij partium Dux passim cum hæreticis Comitialibus, Regi atque ac Religioni infensis fœdera icit, illisque munitissimas arces prodit connuente Nuntio, si non conscio, & suadente.

CVm omnia pessumdari censurarum occasione animaduerteret Concilium, generalia regni Comitia (quæ assemblææ vocabulo à Reuerendissimo Domino Nuntio primum vsurpato, in positâ iam epistolâ exprimere voluit) in quartum Septembris proximè futuri indixerat, quorum, si fieri posset, authoritate aliquod præsentibus malis remedium adhiberetur. Appellunt interim ex Gallica legatione reduces Antrimus, Musxrienſis & Brovvnius quorum negotiatio vbi innotuit, acriùs soluto Regularium quorumdam animos ad excitandas turbas incendit, ac si Ormonius repudiatam iampridem pacem denuo intrusurus, propediem expectaretur. Vndè nihil non tentatum, nullus non motus lapis, quo vrbs Kilxennienſis, ipsique supremi concilij proceres, quorumdam fratrum proditione, Eugenio in prædam ce-

derent, ac nisi diuinâ miseratione interceptæ litteræ fuissent, quarum nonnullas infra ponemus, de vrbe ac Proceribus actum erat.

Enimuero Eugenius, tanquàm minùs suffeciſſet per inducias propriâ authoritate factas vexationem à Scotis redemisse; Ionem quoque Dublinienſis vrbis Præfectum factis cum eo induciis sibi conciliauit, & quò distractis aliundè Concilij viribus, facilior pateret ipsi aditus ad Kilkennienſis vrbis interceptionem, ſcriptis eum in finem literis illum ad intercipiendas Catholicas munitiones inuitat. Luculentam eius rei fidem facit Epiſtola hæc ad Clogherenſem hæreticum Epiſcopum Ionis fratrem ſcripta, propriaque Eugenij manu ſignata.

Superſcriptio Epiſtolæ ad Reuerendiſſimum Epiſcopum Clogherenſem.

Feſtina verſus Balyſonanum, & inde verſus Catarlaghum: conabor te ab oppreſsione ſeruare. Coſtologh Preſtonio iunctus eſt, vt & pars virium Inchiquini, quas omnes ità occupatas ego tenebo, vt te opprimere non ſint valiturâ, & ſubſcribitur,

Eugenius O Neillius.

Ita ille qui à populariibus ſuis Catholicæ Religionis, ac legitimi Regis defenſoribus

paulò antè eò duntaxat nomine defecerat, quod cum protestante Regiarum partium Duce publicâ, quâ pollebant, authoritate Semestres inducias communi commodo inseruientes fecissent: Ille, inquam, ipse priuato nomine cum homine hæretico Religionis, ac patriæ hoste infestissimo non solùm inducias facit, sed Catholicorum munitiones in manus ipsi tradit: nam Ballysonanum necessario tum præsidio destitutum superueniens eius inuitatu Ione facili negotio cepit, diuque post magno adiacentium Catholicarum regionum damno seruauit: & quod magis mireris, spectante & nihil reclamante, ne dicam suadente Reuerendissimo Nuntio, hæc impunè perpetrauit Eugenius. Dixi (*Ni forte suadente*) etenim mirum videtur, si repugnante Reuerendissimo Domino inducie illæ, aliaque fœdera tam crebra, tam arcta cum Ione ac Scotis ab Eugenio tum facta, ac deinceps studiosè fota fuissent, eum non declarasse ipsum quoque Eugenium excommunicationem superiùs à se in Concilium vibratam incurrisse, cùm eius hæc sint conceptissima verba. OMNIBVS *& quibuscumque tam Ecclesiasticis, quàm secularibus in quacumque præeminentia constitutis præcipimus, & mandamus, ne prædictam cessationem quoquo modo per se, vel per alios di-*

recte, vel indirecte, consilio, auxilio, vel favore foueant, aut defendant: nec non sub eadem pœna præcipimus omnibus & singulis Generalibus, Colonellis, Ducibus, Officialibus, militibus, & quibuscumque aliis Catholicis, ne cum prædicto Domino Barone de Inchiquin, VEL QVOCVMQVE ALIO HÆRETICO, se se iungere, aut quouis alio modo ex superius enumeratis eidem, vel eisdem adhærere præsumant, vel audeant, &c.

Sed forte excommunicationem illam non incurrit Eugenius, quod per eam omne commercium, non cum quibuslibet indiscriminatim hæreticis, sed cum regiarum duntaxat partium hominibus vetitum esset Catholicis. Verum est sanè ità se gessisse Reuerendissimum Dominum in hoc toto cessationis negotio, vt id de eo non iniuriâ credi possit: nam & cum Scotis inducias facere ineunte hoc anno Concilio suaserat: & verò cum hoc ipso Barone de Inchiquin priùs inducias fieri permisit, quàm ad regias partes transiit; protinùs autem ac à Rege stare cœpit, nullum cum eo Catholicis de cætero commercium esse voluit, quò factum est vt omnes cordati credere non vacillarent Reuerendissimum Dominum in Anglicos perduelles, quàm in Regem, ac Regios semper extitisse propensiorem. Quod quantum sit, aut quale piaculum, per me

licet, alij iudicent: vnum porro est quod mihi dicant, velim, iniquissimæ causæ iniquiores Patroni, quâ lege, aut quo priuilegio concessum est Eugenio O Neillio homini adeò in Hibernia priuato, vt ne locum quidem, qui mortuum capiat, sibi proprium in toto illo regno habeat, fœdera quælibet cum hæreticis Religionis, Regis, ac Nationis hostibus formidolosissimis, non modò inconsulto legitimo Magistratu, sed & eo repugnante, in magnum Religionis, ac Reipublicæ detrimentum innoxiè, ac proindè impunè icere, vbi eodem tempore electi Ordines regni, penes quos est summa rerum, priùs à fidelium communione præscinduntur, mox ab Officiis in Republicâ gerendis, eo solum titulo abdicantur, quod inducias ad tempus cum Regio Ministro, vtcumque alterius communionis homine, pro re communi promouenda publicâ authoritate concluserint?

Nec satis esse videtur, si quis Respondeat Reuerendissimum hoc Eugenij factum non probare. Enimuero id verum esse demus: esto, Reuerendissimus Dominus non credatur conscius fuisse traditionis Ballysonani; nimis enim horrendum est facinus illud, nec proinde Apostolicæ sedis Nuntio leui coniecturâ adscribendum? sed quare non mulctauit? quare

manifestum eius authorem non puniuit? quò nunc euanuit tantus ille Ecclesiæ ac Religionis zelus? Scilicet vbi Concilium, supremus regni pro tempore Magistratus peccare prætenditur, fulmina propriâ quasi sponte in illustriora illa capita ruunt, vbi verò Eugenij, supra quàm dici potest, enormia sunt, ac manifesta crimina, obmutescit iudex tam vocalis, vt eius paulò ante in momento per vniuersum regnum sonus exierit? tam studiosus Ecclesiæ defensor, vt omnia turbari, imò turbare mallet, quàm vt illa vel minimum detrimentum caperet? sed fortè, quæ in se, ac per se iniquissima sunt, & ab aliis commissa, talia haberentur: ipsa eadem ab Eugenio admissa de bonorum sunt numero censenda.

CAPVT XIV.

Frater Paulus King famosi libelli cuius occasione hæc scribuntur, author scriptis ad Clogherensem Episcopum litteris insigni proditione O Neillium ad Kilkennensem vrbem in qua Concilium morabatur, intercipiendam inuitat. Sed O Neillium, qui iam ad vrbem aduenerat, Inchiquinus fugat. Antrimi vero copiæ qui etiam ad Nuntij partes CUM Scotis auxiliaribus defecerat, à Catholicorum fœderatorum Ducibus profligantur.

FRant semper Kilkenniæ plerique malè pragmatici homines, qui Eugenio eiusque Patrono impensè fauebant, eumque per fas, ac nefas rerum summâ potiri summoperè cupiebant, quam in rem eorum complures impigram operam nauabant; id huius ipsius Fr. Pauli King, cuius virulentissimum scriptum responsionem hanc à nobis extorquet, breuis, quam hîc subiicimus, declarat epistola, quæ ad Clogherensem Episcopum Eugenij in omnibus suis molitionibus instigatorem latinè scripta sic habet.

Reuerendiſſime Domine.

Breuiter dico. Antrimus totus eſt ad obſequium Eugenij O Neill, & exercitus Vltonienſis, procurabitque omnes ſuos ponere ſtatim ex parte illius. Rogat vehementiſſimè, vt veniat Eugenius O Neill, & exercitus Vltonienſis ſine morâ verſus Kilkenniam, & ne dubitent quin tota Lagenia, imo Hibernia erit in diſpoſitione ipſorum. Oportet præuenire Ormonium, qui venturus eſt ſtatim poſt Muskry, & Brovvne. Veſter Decanus Firmanus eſt hic quaſi captiuus. Ipſe & Archiepiſcopus Dublinienſis anhelant veſtrum aduentum, omnia ad nutum fient cum acceleratione, ſed ſine illa omnia nutabunt: per alium baiulum mitto tibi literas Nicolai Plunketti. Preſtonius vix habet nomen exercitus, qui eſt omnino diſperſus. Concilium ſupremum & factioniſta cadent, modo extemplo venerit exercitus Vltonienſis cum Eugenio O Neill.

Veſter fidelis ſeruus Fr. Paulus King.

Hic rerum ſtatus, etſi paucis, ſatis tamen diligenter & accuratè à Fr. Paulo proponitur, vtpotè qui non alio fine à Reuerendiſſimo Nuntio Conuentus Franciſcanorum Kilkennienſis Guardianus non diù antè conſtitutus fuerat, quàm vt præſens, & vigilans Concilij ſpeculator, & proditor eſſet: & ſanè omnes, quæ Concilio pa-

rebant vires, ità tùm (vt prodit Paulus) dispersæ erant, vt, si Eugenius maturè veniſſet Kilkenniam, fortè & ipſam vrbem, & Concilij Proceres, vt frater ille, spoponderat, in suam redegiſſet potestatem. Clanrichardiæ siquidem Marchio in Conaciâ Prouinciâ cum suis hærebat, vt seditiones comprimeret, tumultuſque præsentiâ suâ, & authoritate componeret, qui ibidem ex Reuerendiſſimi Domini præsentiâ quotidiè noui pullulabant. Purſellus cum parte Momonienſium virium quoſdam ex O Briennis, in Clarenſi Comitatu tumultuandi occaſionem operientes obſeruabat. Preſtonij copiæ magnâ ex parte in Ionem ab Eugenio excitum mouerant: demùm vt nullus regni angulus in quietis fratribus, adeóque nec turbis vacabat, ità ducem ac militem vbique præſto eſſe oportebat: quò factum vt Concilij vnà, & Kilkennienſis vrbis nuda latera Eugenio infeſtiſſimo patriæ hoſti patuiſſent, ſi ad Proditoris Pauli votum tempeſtiuè acceſſiſſet. Verum Concilium his literis interceptis, & detectis eiuſcemodi molitionibus, cum pro certo haberet Eugenium de ſtatu ſuo aliundè monitum propediem affore cum infeſto exercitu, cœpit ſuæ, & vrbis ſecuritati conſulere, copiaſque alibi diſperſas in viciniâ euocare: & quia Eugenium contra ſe cum magnis

copiis iam mouere reſciit, Inchiquinum, qui ex induciarum pactis periclitantibus adeſſe tenebatur, cum ſuis aduocat. Verùm præuenit eius diligentiam Eugenius, iamque ad quartum ab vrbe lapidem caſtra metatus, eam aggreſſurus haud dubiè erat, niſi copiæ à Preſtonio tumultuariè coactæ iam in ipſis pomeriis collocatæ conſtitiſſent. Ille igitur vrbem, ac Concilium aduerſus inſultus ſuos ſatis tuta ratus, more ſuo, rapinis, ac cædibus innocentium Catholicorum, frugumque incendiis, nec non expilationibus locorum omnium etiam Eccleſiarum, Catholicæ, vt iactabat, fidei defenſor, licet nec calicibus aliiſque ſacris vaſis parceret, omnia circum latè vaſtabat, mox accidente Inchiquino cum valido equitatu Momoniam verſus mouet, vbi plures turbinum artibus corruptos ſuis partibus acceſſuros ſperabat. Verum Inchiquinus intercepto omni in eam Prouinciam aditu eius vbique latera premebat, pugnæ copiam ab eo ſibi fieri cupiens, quod aduertens ille, ac ipſum etiam Baronem in ſuas partes trahere ſtudens, Rogerium O Moorry virum nobilem ſibique fidiſſimum ad eum legat, per quem ſignificat, ſe ipſius nutui Momoniam Prouinciam integram relicturum, eâ lege, vt Baro ſuis in aliis Prouinciis conatibus repugnare deſiſtat,

quam eius molitionem tanquàm in Regem, ac patriam perfidiosissimam cùm detestaretur Baro, pugnamque eò vehementius cuperet, quò erat in hominem ex hac legatione commotior: ille cum longè se viribus, equitatu præsertim, inferiorem agnosceret, quò se pugnandi necessitate liberaret, cursu raptim in septentrionem verso paludum, humentiumque viarum notis sibi compendiis insequentem Baronem plurium dierum itinere ponè relinquens, per Ormoniæ comitatum ad Sineï fluminis ripam obuia quæque diruens peruenit: vnde cum traditum sibi Faclandi propugnaculum valido prius præsidio muniuisset, ad accessum copiarum Baronis, & Concilij inaccessis Conaciæ & Vltoniæ paludibus immersus, in tuto se ab hostium equitatu collocauit. Mox copiis, quas in suorum præsidiariorum à Barone in illo propugnaculo obsessorum subsidium remiserat, cæsis ac profligatis, in Vltoniæ, & Lageniæ montosa, & palustria altiùs penetrauit.

Dùm hæc cum ipso Eugenio agerentur, ne quis regni angulus seditione vacaret, Antrimi Marchio, de cuius consiliis Paulum in suâ ad Clogherensem Epistolâ loquentem audiuimus, legionem Montanorum Scotorum, quæ superiori anno in Hiberniam traiecerat duce Alexandro Mac-

donell viro nobili, ac strenuo (qui paulo post apud Maloam pro Catholicis fortiter pugnans occubuit) in sua retia trahit, à Prouinciâ Momonia in Vvexfordiensem Lageniæ Prouinciæ comitatum aduocat, vbi iunctis quibusdam suæ factionis tam peditibus, quàm equitibus ad 1500. armatorum numerum ex improuiso excrescunt; qua re cognita Concilium Geraldinum, ac Thomam Esmondum Equitem Auratum in eos mittit, qui capto, cui parebant, Glangarryo tribuno cæteros ceciderunt, ac profligarunt, ac sic viros Regi, ac nationi nostræ hactenus addictissimos, militesque optimos cogente infaustâ diuisione nos ipsi confecimus! O infœlicem victoriam! ô duram necessitatem, qua compulsi fuimus non solùm inter nos, sed cum sociis subsidio venientibus tandem digladiari. Miseret me sanè sortis Scotorum illorum, qui tot præclara facinora sub Montirs-osarum Marchione victoriosissimo duce pro Rege, & patriâ contra fœderatos Caluinistas superioribus annis in Scotiâ patrarunt. Nec facere possum quin Antrimo succenseam, qui viros illos cætera candidos, & bonos tanquam familiari necessitudine allectos decepit, & in exitium præcipites egit. Sed Vicariam Regis in Hibernia potestatem, cuius expectatione à Reuerendissimo

Nuntio

Nuntio pridem lactatus fuerat, ita Patriæ viscera laniando, adepturum se sperabat. Verum accepto huius cladis Nuntio, Vvexfordiâ, vbi tum pugnæ euentum præstolabatur, trepidè profectus per Ionis regiones, ac præsidia, vbi passim tanquam declaratus Catholicorum hostis benignè excipiebatur, ad Eugenium in comitatu Monoghano hybernantem tandem peruenit.

Hæc mensibus Augusto, & Septembri 1648. contigerunt, nec ad fœderatorum vnionem, nisi sequenti anno factâ iam à Catholicis cum Ormonio pace rediit Antrimus inuisus omnibus, priusque à suis, ipso etiam Eugenio despectus.

CAPVT XV.

In Comitiis Generalibus mense Septembri an. 1648. habitis, omnia quæ à Concilij Proceribus in inducierum tractatione acta fuerant, confirmantur. Inuitatur ad concordiam Nuntius: reluctanti ab omni rerum Hibernicarum administratione interdicitur. R. P. Frater Rovveus Carmelita à Comitijs Romam missus cum literis ad Pontificem, Nuntij operâ intercipitur, & in custodiam datus elabitur, ac tandem Ian. 16. an 1649. Romam peruenit.

SEdentibus iam præstituto tempore, mense nimirum Septembri, in Comitiis, vniuersis penè regni Proceribus tàm Ecclesiasticis, quàm laicis, aliisque de more ad id generis conuentus à Prouinciis, Vrbibus, & Oppidis mitti solitis, prima opera impensa est in examinandis superioris Concilij actis in causa cessationis, vbi omnibus seriò ac prudenter perspectis, ac perpensis non solum probantur omnia à Concilio in illa tractatione peracta, verum etiam pro Nationis conseruatione necessaria omninò fuisse declarantur, Gratiæque Concilij Proceribus tanquàm ser-

uatæ ab imminenti, ac propè præsenti ruinâ Patriæ, eo nomine referuntur quàm amplissimæ: tùm nihil non tentatur quò Reuerendissimus Nuntius, aliique omnes ipsi adhærentes ad pacis, & concordiæ consilia reducantur: verùm tantùm abest, vt his ille comitiorum monitionibus acquieuerit, vt nouas subinde turbas tàm per se, quàm per suos vbique, ac nominatim Galuiæ excitare non desierit. Scribunt super hæc Comitia binas literas, vnam ad ipsum, quâ ei omni rerum Hibernicarum tractatione etiam sub pœnarum comminatione in posterum interdicunt: aliam verò ad Magistratum, & Ciues Galuienses, quâ vetant, ne quod ipsis deinceps colloquium, consilium, aut commercium cum Reuerendissimo Nuntio intercedat: tùm in prosecutione appellationis superiùs à Concilio ab eius censuris ad summum Pontificem interiectæ Fr. Ioannem Rovveum Carmelitarum discalceatorum Hiberniæ Ministrum Prouincialem, virum doctrinâ, prudentiâ, ac pietate conspicuum ad Innocentium X. summum Pontificem cum hac epistolâ mittunt, quam ideò hîc apponendam duximus, quòd vel eâ solâ superiora omnia partis vtriusque in cessationis negotio, acta fideliter hîc à me relata esse compendiò probetur.

Generalium regni Hiberniæ Catholicorum Comitiorum epistola ad Innocentium decimum summum Pontificem.

BEATISSIME PATER.

Inter tot, quibus premitur, miserias infœlix Hibernia, nulla nos magis affligit, quàm quòd septennio iam Catholicam Religionem, & Ecclesiæ splendorem nostro sanguine propagantes, ab Illustrissimo Domino Nuntio Archiepiscopo Firmano telis Apostolicæ sedis authoritate fulminatis petimur. Heu! quænam hæc deuastatæ Patriæ & tantarum cladium merces? aut in quo peccauimus, quod quem Hiberniæ PATREM, ET TRANQVILLITATIS ANGELVM *exspectauimus,* CIVILIS BELLI CAPVT, ET CALAMITATVM OMNIVM INDE EMANATARVM AVTHOREM EXPERIMVR? *scilicèt supremo Concilio (cui nos summam regni authoritatem delegauimus) non licuit difficillimis temporibus, rebus maximè distractis sex mensium inducias* VTILES, *ac* NECESSARIAS *cum Barone de Inchiquin, vtcumque protestante contrahere:* AT [illegible] ILLI *(quibus omnium*

noſtrum ſalus commiſſa eſt) OBLATAS DENEGASSENT INDVCIAS, ET TEMERARIO AVSV PATRIAM, ET RELIGIONEM EVIDENTI OBIECISSENT PERICVLO, PROCVLDVBIO IN ILLOS ANIMADVERSVM FVISSET. *Hinc eſt, quod lectis ceſſationis articulis, & prolixâ inter ſupremum Concilium, & dictum Illuſtriſſimum Dominum Nuntium ſuper illis diſceptatione, omnibuſque perpenſis rerum, & temporum circumſtantiis* INDVCIAS ILLAS, VTPOTE IVSTAS, COMMODAS, ET NECESSARIAS, VNANIMI CONSENSV APPROBAVIMVS, ET RATAS HABITVRI SVMVS; *ſupra modum afflicti, quod Illuſtriſſimus D. Nuntius* SPRETA PVBLICA REGNI AVTHORITATE PARTES REBELLIVM FOVERE NON DESTITERIT, *& Eugenio O Neill adharere elegerit, qui niſi coactus, aut noſtris, aut ſuprenii Concilij mandatis ab initio huius belli nullatenùs obtemperarit. Quapropter eniхè petimus, cùm iam tot ſuperatis impedimentis, quæ Illuſtriſſimus Dominus Nuntius obiecerat, Reuerendus admodum Pater Frater Ioannes Rouue Carmelitarum diſcalceatorum in Hibernia Prouincialis, ad pedes ſua Sanctitatis noſtro nomine proſternatur, illum rerum noſtrarum ſtatum, &* INIVRIAS NOBIS ILLATAS REFERENTEM, BENIGNE *audire dignetur,* INIVSTAS REVOCARE CENSVRAS, *& bene-*

dictionem nobis impertiri, quàm humiliter obsecramus.

Kilkenniæ 17. die Septembris 1648.

Sanctitatis vestræ ad pedum oscula prouolutus, Richardus Blake Prolocutor.
Philippus O Kearney generalium Comitiorum Clericus.

De Mandato Generalis Conuentus Confœderatorum Catholicorum Hiberniæ.

Ex huius epistolæ serie manifestè colligitur, non nisi suo, & quidem necessario in concludendis induciis functos officio fuisse Concilij Proceres; quas quippè si prætermisissent, ob id ipsi non reprehendendi modò, sed & tanquam proditæ Religionis, & Patriæ rei plectendi erant.

Acceptis Comitiorum mandatis Pater Rovveus Vvaterfordiam ad nauem inde in Galliam propediem solvturam proficiscitur, eâque mox conscensâ, dum iuxta Dunkananum (propugnaculum est amplissimum illum, totiusque regni commodissimum portum claudens) nauigat, à propugnaculi Præfecto, quem etiam in suas partes illexerat Reuerendissimus Nuntius, sistitur, educitur è naui, literæ omnes, & mandata Comitiorum ipsi auferuntur, ipseque in arce noctem illam sub custodiâ transigere cogitur, vbi & diutiùs

manſurum illum fuiſſe probabile eſt, ni poſtridiè manè, cuſtode milite, aliisquibuſdam in tempus neceſſariis intento, elapſus, ad Comitia quàm primùm quid accidiſſet docturus, regreſſus fuiſſet. Hac arte id maximè effectum eſt, vt ſeriùs appellatio ad ſummum Pontificem deferretur. Sed ex illo facinore id ſaltem eius author conſecutus eſt vt apud nonnullos vacillare iam cœperit ea opinio quã de Reuerendiſſimo Nuntio conceperant, ipſum nimirum nec cenſuras, nec aliud quidpiam eius momenti negotium præter ſummi Pontificis voluntatem tentaturum fuiſſe: Id enim & ipſe de ſe magnificè prædicabat, & reipsâ verum eſſe credebatur à pluribus, qui propterea acta eius omnia, & ſingula Reuerentiùs obſeruabant. Verùm vbi reſciuerunt tam ipſum, quàm famulos eius (quorum quidam in Propugnaculo illo tum morantes Ducem ad capiendum Rovveum impulerant) nolle vt actorum eius notitia per legitimæ appellationis viam ad ſummum Pontificem deferretur, inopinatæ rei nouitate perculſi, nonnihil de ſolito in eum ſtudio remittere cœperunt. Nonnullos dixi, non omnes: ſiquidem plures eius Geſta omnia, tanquam diuinitùs inſpirata, peruicaciter approbabant: ſed ambitioſi ſunt aut dilapidatæ fortunæ homines non pru-

dentes, non pij, non Religionis aut Patriæ, sed sui amatores.

Cæterùm Dunkanani propugnaculi Dux ob insolentem illum ausum à Comitiis graviter increpatus literas quidem, aliaque Rovveo erepta mandata ad Pontificem deferenda, illæsa omnia, ac inviolata restituit; sed nonnisi elapsa prius illâ naui, ex quâ eum extraxerat: quo factum vt ille aliam aliquandiù expectare coactus fuerit, quam tandem nactus aspirantibus ventis tertio nauigationis die ad portum salutis in Galliâ appulit, ac Romam demum 16. die mensis Ianuarij peruenit, quo eum paulò post secuti sunt duo, Fratres Iosephus Theatinus Reuerendissimi Nuntij confessarius, & quidam Richardus Ferall Capucini instituti homo, qui præ cæteris in mandatis habebant instanter petere ne quid de actis Reuerendissimi Nuntij ipso (quem propediem affuturum promittebant) inaudito, decerneretur.

CAPVT

CAPVT XVI.

O Neillius à Comitiis fœderatorum Catholicorum, vt patriæ, & Religionis hostis proscribitur. Scriptâ ad Reuerendissimum Nuntium epistola ei denuntiatur, vt Hibernia discedat, Romam petat, ibique se ad intentata aduersum se accusationis capita coram summo Pontifice responsurus sistat.

AT interim in Hiberniâ, cum Comitia nihil non tentassent, quo Reuerendissimum Nuntium ad ineundam secum pacem induci posse videbatur, omniaque irrito conatu fieri animaduertissent, ac nouas Eugenij Machinationes, communique cum hoste conspirationes quotidiè detegerent, quippe qui per Edmondum Reilli Presbyterum suo nomine apud Ionem Dublinij residentem pessima quæque aduersus Catholicos moliebatur. quin & Emerum Episcopum Clogherensem ad Munkium comitialem ducem Neurium, aliasque maritimas Vltoniæ Prouinciæ vrbes perduellium Angliæ hæreticorum nutu, & Imperio regentem cum crebris legationibus mitteret. De-

mum nullum non moueret, lapidem quo patriam & eam, quam præ se ferebat, Religionem, in plenam, & irreparabilem ruinam præcipitaret, nec vllis artibus, aut consiliis, vllâ spe præmiorum, aut pœnarum à proposito posset abduci, aut deterreri: Hæc, inquam, cum seriò ac dolenter expendissent Comitiâ, in Eugenium, per eius, tanquam publici, Religionis, ac Patriæ hostis proscriptionem, procedendum censuerunt; quod & factum edito eodem mense Septembri, & impresso Kilkenniæ decreto, cui interceptæ vtrinque literæ, annectuntur, id nos vidimus, & etiamnum si placet, videre possumus, & producere. Cæterum cum non aliud rebellioni suæ pallium obtenderet Eugenius, quàm Religionis colorem, latarumque à Reuerendissimo Domino Nuntio censurarum speciem; nec ille sine Nuntij Imperio, neque hic vllomodo à laniandis miserrimi regni præcordiis desistere vellet: Nihil reliquum visum est Comitiis quò natio tota ab integra & præsenti ruina seruari fortè posset, quàm si Reuerendissimus Nuntius è regno rogatus, & lubens proficisceretur, aut si renueret, tanquam incendiarius publicus inuitus expelleretur, quod & concordibus omnium suffragiis ac sententiis scitum fuit. Id enim efflagitare Religionem, & regnum intelligebant

cæteroqui domesticis diuisionibus prorsum peritura. Nec vero ægrè id laturum summum Pontificem, vbi de rebus ab ipso tam malè administratis probè fuerit instructus: non enim missurum eum fuisse, si talem præuidisset. Et sanè summis Pontificibus in more non esse positum ministrorum suorum acta omnia, & singula quamlibet indecora defendere: siquidem non id Eugenium Papam eius nominis quartum in Iuliani sui apud Vvladislaum Hungariæ Regem Legati, causâ, nostræ huic quàm simillimâ, sibi faciendum iudicasse, nec Clementem septimum, eiusque successores potuisse non improbare acta Petri Pauli Vergerij Iustinopolitani in Istriâ Episcopi, eiusdem Clementis Papæ ad Germanos Apostolici Nuntij, qui in eo colloquio, quod ex Pontificis mandato cum Luthero habuit tantùm in malum profecit, vt postmodum in Lutheri partes transfuga, concionibus, & scriptis Ecclesiam impugnauerit. Posse igitur Nuntios Apostolicos & in fide, & in politicis Ecclesiæ rebus tam à summorum Pontificum præscriptis aberrare, quàm ab æquitatis ipsius normâ deflectere, ac vt cætera huius ipsius Nuntij minùs rectè facta prætereantur, eum nullo, quamlibet longè quæsito colore excusari posse à vitio acceptionis personarum,

Vid. Antonium Bonfinium historiæ Vngaricæ decad. 4. lib. 6.

Vide librum 2. historiæ Cõc. Tridentini. Vide lib. 8. eiusdẽ historiæ pag. 600. editionis augustæ tribonãtum anni 1620.

præ cæteris in iudice non ferendo, qui in Eugenio suo, si non probat, saltem tolerat multò grauiora iis, quæ in supremo Magistratu tam seuerè puniuit. Proindè vbi nihil reliquum esse videtur, quo ad pacifica consilia adduci possit, saluo semper, ac illæso honore Apostolicæ sedi debito, eum à regni huius, quod tàm miserè distrahit, ac discerpit, finibus, nisi vltrò discedat, vel reluctantem amandare oportere.

Atque hæ demum causæ sunt, cur conscripti Comitiorum Proceres Statuerint Reuerendissimum Dominum ad discessum spontaneum inuitare, aut si renuat, inuitum eiscere, quòd spectat expostulatoria hæc scripta ad eum Comitiorum nomine Epistola, quam ad verbum latinam reddimus.

Generalium Comitiorum Epistola ad Nuntium.

DOMINE MI,

Præceptum mihi est ab hoc Generali regni Conuentu dominationi tuæ significare, varias oppressiones, diuisiones, exorbitantia crimina, & capitales offensas, quas à Dominatione tua continuè à tribus annis iam pene elapsis in hoc regno commissas, & hoc ipso tempore in ineffabile Religionis Catholicæ de-

trimentum, nationisque tàm antiquæ tam Catholicæ ruinam, ac subuersionem, sedisque Apostolicæ dedecus continuatas, ac perpetratas fœderati Hibernia Catholici ex sua officiosa, ac filiali in summum Pontificem reuerentia, nimia, & inaudita apud vllam nationem patientia hactenus tolerauerunt, & in hunc vsque diem tolerant, tandem compulisse hac Generalia Comitia, ad valida, & legitima iuris præsidia recurrere pro conseruandis reliquis maiorum regni commodorum iam ad proximum integræ ruinæ punctum artibus tuis, prauáque rerum administratione reductorum. Quapropter dominationem tuam certiorem faciunt, declarationem, ac protestationem contra te paratam, & ad suam Sanctitatem breui mittendam esse, cuius argumenti partem aliquam, (quam tibi placebit notare,) inclusum scriptum continet, ac deinde ad iter Romam versus suscipiendum, ibique te contra accusationem illam defendendum quàm primùm parare. Ac interim Dominatio tua sub intermination pœnarum, ceteroqui tàm diuinarum, quàm humanarum legum vigore incurrendarum eauebit, ne per se, aut per vllum suum instrumentum directe, aut indirecte, vllis se se regni huius rebus immiscat. Manco

Kilkenniæ 19. Octobris 1648.

Dominationis tuæ admodum amicus de mandato Comitiorum generalium Rich. Blake Prælocutor.

Missum simul & hoc compendium quorundam capitum, quæ contra ipsum in iudicio summi Pontificis videbantur obiectandaquæ etiam ad verbũ latina fecimus.

COMPENDIVM.

Quorundam capitum accusationum ad Innocentium X. summum Pontificem mittendarum contra Dominum Archiepiscopum Firmanum à sua sanctitate tanquam Nuntium Apostolicum in hoc Hiberniæ regnum missum.

1. *Obseruetur, quod Dominus Nuntius, cùm in hoc regnum appulit mense Octobri anni* 1645. *fœderatos omnes Catholicos vnanimes, ad pacem honestis conditionibus propensos, eorum regiones rerum omnium copia affluentes, demùm liberum sacrarum Catholicæ Religionis functionum exercitium, ac splendorem in plusquam tribus è quatuor regni partibus repererit.*

2. *Quod in Generalibus Comitiis Kilkenniæ habitis mensibus Februario,* [a] *ac Martio annorum* 1645. *&* 1646. *suæ sanctitatis nomine fœderatis Catholicis promiserit quatuor actuarias, seu expeditas, armataſque in bellum naues,* [b] *ac se insuper summi Pontificis nomine, facturos in quilibet quatuor huius*

[a] Stilo veteri.

[b] vulgo Fregatas vocant.

regni Prouinciarum vna, belli sumptus, datis in eum finem sufficientibus numerati aris summis, soluturum, modo desiderata tùm concluſa pacis publicatio in primam diem mensis Maij proximè insequentis differretur, quo locus fieret pinguioribus, vt aiebat, pacis conditionibus, quas suæ Sanctitatis interceſſione obtentas, interim Roma transmittendas, conceptis verbis pollicitus est. In quorum omnium violationem, ne vnam quidem bellicam nauem in Catholicorum vſum contulit, nulla in hunc vſque diem ad nos Roma miſſa pacis conditiones, ac ex omnibus illis promiſſis pecuniis, ac ſubſidiis Dominus Nuntius non amplius contulit in huius regni vſum, quam ſex circiter millia ſterlinarum, qua in expeditione Conacenſi anno 1646. ac quatuor circiter millia, qua in expeditione Vltonienſi eodem anno impenſa fuerunt: etſi latorum ipſi ex publicis regni redditibus expenſorum, mutuique nondùm redditi, plurima eaque ingentia nomina extant.

3. *Quod, à quo tempore deſignatus eſt Hibernia Nuntius, in hunc vſque diem nullam rationem, reddiderit: imò ne notitiam quidem quantum in ipſo fuit dederit, aut obtulerit Generalibus Comitiis, aut ſupremo Concilio pecuniarum, armorum, aliorumque bellicorum ſubſidiorum, ſibi, Decano ſuo, aut aliis eo nomine à ſe ſubſtitutis, à ſuâ ſanctitate, aliiſve piis Principibus, aut Prælatis in*

huius regni vsum commissorum, atque concreditorum.

4. *Quod in iisdem Comitiis memoratis Februario, ac Martio mensibus, Dominus Nuntius sanctitatis nomine spoponderit, se bullam Cardinalis Poli confirmaturum, eiusque dispensationem circa possessiones solutarum abbatiarum, prioratuum, & similium Ecclesiasticorum bonorum, a laicis retinendas, si quâ in re illa deficeret, emendaturum, seque eum in finem amplâ potestate à summo Pontifice donatum, in cuius fidei violationem contrarias bullas alias ipse dedit, alias procurauit, ac quædam rescripta pro fœderatis Catholicis ex pluribus solutis abbatiis, prioratibus, aliisque similibus prædiis exturbandis tradidit, pluribusque, qui Ecclesiastica prædia vigore bullarum ab ipsis summis Pontificibus concessarum tenebant, eorumdem Ecclesiasticorum prædiorum possessiones priuatâ authoritate in earum bullarum contemptum abstulit.*

a Soluta Ecclesiæ prædia nuncupãt a quæ ampriem in laicorum manus ab Ecclesiasticorum dominis tiam interueniẽte Apostolica dispensatione traducta sũt.

5. *Quod sedentibus iisdem Comitiis, quinquaginta, aut pluribus selectis Comitiorum membris ad examinandas, eliquandasque res mox in generali Conuentu decidendas, deputatis, nomine suæ Sanctitatis fidem dederit, nullum Episcopatum, aliuduè Ecclesiasticum huius regni beneficium Romæ, aut alibi vllis aliis personis, alio quam regio iure nominatis, aut præsentatis à supremo Magistratu, aliisve singulorum beneficiorum legitimis Patro-*

nis, de cætero collatum iri. In cuius promissionis, vt & alterius eiusdem conditionis, nomine Vrbani octaui ab eius hic tùm residente ministro, supremo Concilio facta violationem, ille cum præsentationes à Concilio pro Episcopatibus Clonfertensi, ac Rossensi conuenientibus, ac sufficientibus viris conferendis acceptasset: Episcopatus tamen illos aliis procurauit, sibique dehinc plenam, & absolutam omnium huius, regni Ecclesiasticorum beneficiorum dispensationem, atque collationem adrogauit, contra fundamentales regni leges Catholicis temporibus omni retro ætate vigentes. Quo factum, vt coronam exhæreditauerit, ac fideles regiæ Maiestatis subditos legitimis suis iuribus, atque commodis priuauerit. Et vero in distributione beneficiorum illorum, inquietos spiritus omnique nationis tranquillitati, ac sano regimini repugnantes, cæteris omnibus præfert, quod quam sit verum, omnium penè ab illo Promotorum præsente experientia, & exemplis euident simum est.

6. Quod effecerit, vt Eugenius O Neillius Vltoniensis exercitus nuper præfectus generalis, aliique complures arma contra statutum regimen conuerterint, magnasque copias circa Kilkenniam locarint, quibus postrema generalia Comitia terrere voluerunt. Quin & idem O Neillius plurima Comitiorum illorum membra capere, &, si id ad rem suam facturum videretur, occidere, hanc-

que ciuitatem diripere statuerat; qua omnia perpetrare non valens, quod potuit, præstitit, plurima fœderatorum Catholicorum millia in omnibus regni partibus, ferro, flammâ, ac fame exterminando confecit.

7. Quod hoc ipso 1648. generalis Iubilæi anno, quo D. Nuntio maximè congruebat Christi in hoc regno gregem ad piam gratiarum illarum vsum, prece, prædicatione, & exemplo incitare, illegitimis, ac temerariis edictis, atque excommunicationibus, diuinorum Mysteriorum celebratione, ac præsentia, Clero, ac populo interdixerit, Ecclesiarum portas, non sine fortunarum Catholicæ fœderationis iactura, & sanguinis effusione, nuper apertas, contra eosdem qui aperuerant Catholicos claudi fecerit; nec ob interiectam ad Sanctitatem ab iisdem fœderatis legitimam appellationem, maiori (si qua tamen prior maior esse poterat) in eos violentia, ac furore deinceps sæuierit.

8. Quod mense Aprili vltimo cessationem armorum approbauerit, consulueritque Barone de Inchiquin etsi protestante ineundam, quo adhuc tempore Comitialium Angliæ perduellium partibus ille adhærebat: mox vbi idem Baro à perduellibus ad regias partes se contulit, cessationem illo factam conscientia intutam esse declarauerit, eoque titulo ipse pretensique delegati, in eum finem ab eo dilecti, processerint ad publicandas excom-

munications contra omnes qui cessationi illi adhærerent, quod longè secùs quam in ipso, pretensisque illis delegatis, sperabat reliquus, qui delegauerat, Clerus, factum esse tandem innotuit.

9. *Quod earumdem censurarum fulminandarum propositio, Kilkenniæ clàm, & insalutato supremo Concilio profectus, transfugerit ad castra Eugenij O Neillij, illumque cum multis aliis millibus ad arma contra statutum regimen, ac Iuramentum associationis capienda impulerit, ac tàm oblato ingenti pretio, quàm aliis viis efficere conatus fuerit, vt Athlonienses Regiæ Maiestatis arx in manus eiusdem Eugenij O Neillij tum contra Maiestatem, ac statutum regimen in rebellione extantis, dederetur.*

10. *Quod per Ministros suos Dunkanani hærentes corrumpere conatus fuerit præfectum arcis illius à fœderatis longa, & sumptuosa obsidione non adeo pridem expugnata, eoque re vera illum impulerit, vt contra associationis Iuramentum, collocatamque in se fiduciam, vir ille statuto regimini aliquandiù aduersatus fuerit. Quod per sua ibidem instrumenta, ac Ministros effecerit, vt idem præfectus à matura traiectione impedierit R. P. Fr. Ioannem Rouueum Carmelitarum discalceatorum huius regni Ministrum Prouincialem, cui appellationis sua à censuris Nuntij ad Sanctitatem deferenda Prouincia-*

à Regentibus commissa fuerat.

11. Quod mensibus Iunio, Iulio, & Augusto prætertis, vt, & semper deinceps nonobstante etiam huius Generalis Conuentus sessione, rebelliones in Conacia Prouincia, aliisque huius regni partibus continuè excitauerit, ac etiamnunc conetur Galuiensem vrbem, aliaque magni momenti loca perduellibus, ac proditoribus tradere, quibus ipse pecunias, arma, ac puluerem tormentarium eum in finem submini strauit; Quod mensibus Iunio, & Augusto vltimis subscripserit decretis, quibus Regiæ Maiestatis subditos regimini obedientes, iustaque, ac necessaria illi cessationi adhærentes, suis bonis legitimè spoliari, diripi, & occidi posse declarauit.

12. Quod ad omnes exercitus statuto fœderatorum Catholicorum regimini obtemperantes, edicta sua, atque excommunicationes miserit, illis sub dictarum censurarum interminatione præcipiens, ne stabilito illi regimini posterùm obsequerentur, suisque artibus, atque machinationibus adeo præualuerit, vt Richardum Ferallum Conacensis exercitus Legatum ad iuramentum associationis, aliudque peculiare, data eidem Prouinciæ fide, sacramentum violandum impulerit, eumque Eugenio O Neillio tunc, & etiamnunc respectà perduelli adhærere fecerit.

13. Quod arbitrariam ac tyrannicam potestatem, atque iurisdictionem in fortunas,

prædia, ac vitas fœderatorum Catholicorum vsurpauerit: vt euidenter patet, tum ex eius aduersus Iacobum Goagh, centurionem edicto illo, quo sub pœna excommunicationis illi præcipit, vt quædam bona intra biduum sibi tradat; tum ex aliis bullis, ac rescriptis, quibus pro arbitrio temporalia bona, quibus voluit, contulit. Quod comitatuum ac Prouinciarum Præfectos designauerit, ac nominauerit; Quod Duces, altosque militiæ ductores rebellibus exercitibus præfecerit: magnas, atque graues pecunias summas à pluribus Comitatibus, Ciuitatibus, priuatisque ciuibus minis, & artibus, mutui nomine, exegerit, quòd fidem pro tempestiuâ summarum illarum solutione datam fefellerit, licet summa, quas ab illo iam exactas innotuit ad plura sterlinarum millia excreuerint; Quod illas penè omnes pecunias perduellibus, ac Patriæ hostibus erogauerit.

14. *Quod venerandum quemdam Prælatum, residens supremi Concilij membrum, ad violandum sacramentum a generalibus Comitiis impositum, sibique reuelanda Concilij arcana compellere tentauerit. Quod datis pluribus literis huius regni prælatos ab his Generalibus Comitiis auertere molitus fuerit; Quod eisdem Prælatis à Concilio nuper euocatis, vt sibi in censurarum controuersiâ cum illo habitâ sententiam suam dicerent, sub pœna excommunicationis interdixerit, ne ad*

Concilium accederent, aut suam cessationis negotio mentem aperirent.

15. *Quod illegitimam vsurpauerit authoritatem præficiendi quos vellet, tam in militia, quàm in ciuili fœderatorum regimine, alioſque pro arbitrio, ac nutu ſuo, vtroque munere deiuciendi.*

16. *Quod edictis ſuis ſub pœna excommunicationis pluribus regularium ordinum hominibus præceperit, ſuis quique Prouincialibus, aliiſque præpoſitis, qui pro regimine ſententiam dixerant, obediendum ducerent, quod quidem in detrimentum priuilegiorum illorum ordinum factum eſt. Quod ſi qui Regulares, quorum Prouinciales Domini Nuntij vias probaſſent, aliter quàm ſui illi Præpoſiti ſenſiſſent, his ille, vt contra conſcientias propias Prouincialium ſuorum ſententiis ſuffragarentur, ſub excommunicationis pœna iniunxerit.*

17. *Quod abſolutam, & ordinariam iuriſdictionem in dignitarios, ac curatos huius regni nulla habita ratione Archiepiſcoporum, et Epiſcoporum Cleri ordinariorum ſibi adrogauerit.*

18. *Quod, cùm R. quidam Prælatus cum ipſo expoſtulaſſet eius honori minus congruere Eugenio O Neillio, eiuſque parti fauere contra viros totius regni fide, facultatibus, morumque probitate maximè conſpicuos, cum alij illi, præterquàm quod improbi, & peſſimi,*

numero etiam, ac fortunis longè sint inferiores, ac, si fortè prævalent, multum fœderati sanguinis sint fusuri, undè ipse, quippe qui corruptissimos homines melioribus præposuisse conuinceretur, infamiæ sibi notam inureret, quod inquam huic conceptis verbis Respondent, victricem partem maximè Catholicam Romæ æstimatum iri.

19. Quod nuperrime sedentibus his ipsis Comitiis, cùm Regulares Carmelitæ in ciuitate Galuiensi viuentes appellationis ab eius censuris ad summum Pontificem factæ beneficio vsi, suas, vt decebat, functiones exercerent, de motu, ac mandato eius in Carmelitarum illorum capellam noctu seditiosi quidam irruperint, ipsos etiam in personis offenderint, campanam, quâ celebrandi sacri signum dabant, abiecerint, eamque hactenus detinuerint, duosque ipse Presbyteros in limine capellæ constituendos præceperit, qui Catholicos ingredi cupientes violenter à sacro arcerent, quod in magnum Religionis Catholicæ scandalum ibi factum est, vbi plurimi sunt protestantes, qui meliori exemplo ad Catholicam Religionem amplectendam conuerti potuissent.

20. Quod tam propriis artibus, quàm ministrorum, ac sociorum suorum machinamentis molitus fuerit, nationem hanc à suâ in Regiam Maiestatem fide abducere, fundamentales regni leges euertere, &

regimen totum subuertere, inque eius locum externam, arbitrariam, ac tyrannicam administrationem substituere, quæ omnia ex eius agendi, procedendique rationibus adeò sunt euidentia, vt ne quidem valeant negari. Ex quibus, aliisque eius in hoc regno factionibus effectum est, vt Basilicarum, & Capellarum centena plurima, in quibus diuinum officium Catholico ritu anteà celebrabatur, hostium manus deuenerint, plurimi regularium Conuentuum dispersi sint, integræ, magnæque terrarum regiones, ac tractus prius à Catholicis inhabitati tam ab iis, deserti vacent, fameſque, qualem præterita sæcula nullam vnquam in hoc regno memorant, inuecta sit; quin & plena totius nationis desolatio, ni cito præsentatur, peruersa eius administratione imminet.

CAPVT

CAPVT XVII.

Declaratio Comitiorum qua Catholicis omnibus, & præsertim Galuiensibus commercio omni cum Reuerendissimo Nuntio interdicitur. Nihilominus ipse, eique adhærentes tumultuantur, maximè ob Ormonij Marchionis in Hiberniam, ac Kilkenniam aduentum. Sed cùm legati Româ reduces Episcopus Fernensis, ac N. Plunkettus pacem cum regiæ partis protestantibus summo Pontifici non ingratam fore denuntiassent, pax tandem concluditur: cuius articuli ad Religionem spectantes summatim referuntur, & quam illi sint Catholicis honorifici, & vtiles, breuiter expenditur.

HVc vsque accusationum capita. Edita simul & hæc declaratio, qua omni commercio, & communicatione omnibus quidem, & præ cæteris Galuiensibus cum Reuerendissimo Nuntio interdicitur.

Per Generalia fœderatorum Hiberniæ Catholicorum Comitia.

Cùm Hibernia regnum nimiâ, & inauditâ hactenus tolerantia sustinuerit innumera-

bilia grauamina, distractiones, exorbitantia crimina, capitalesque offensas à Ioanne Domino Archiepiscopo Firmano in hoc regnum à sua Sanctitate nomine Apostolici Nuntij misso, per tres continuos annos tam prope elapsos sine vlla intermissione commissas, ac perpetratas, eiusque id generis continuata molimina, iugesque conatus ad inexistabilem Catholicæ Religionis, nationisque tàm antiquæ, tàm Catholicæ extirpationem, ac ruinam vergentes, istorum, ac legitimorum præsidiorum pro reliquis reipublicæ ab integra ruina seruandis præsens remedium efflagitent. Hinc est, quod nos ipsi Domino Nuntio præcipimus, vt se ad peditum suum Romam quam primùm paret, vbi se, si possit, defendat contra predicta crimina ibidem aduersus ipsum producenda ac probanda. Interim vero sub interminatione pœnarum, quæ vigore legum tàm diuinarum, quàm gentium, incurri possunt, eidem iniungimus, vt se, nec per se, nec per quempiam ministrorum suorum directe, aut indirecte, vllis huius regni negotiis immisceat.

Porro summorum illorum criminum, capitaliumque offensarum ab ipso in hac terra perpetratarum compendium quoddam in impressa declaratione, ab hoc publico regni Conuentu propediem aduersus ipsum edenda, vniuersis patebit; Quo igitur nec Galuia ciuitatis Prætor, nec quisquam alius [illegible] vbi in qua modo residet dictus Dominus Firmanus, ciuis, nec alij vlli cuiuscumque condi-

tionis homines criminum illorum ignoratione nem pretexendo, vllum cum eo, aut cum alio quoquam hominum adherentium ipsi, commercium, aut communicationem vllam in posterum habeant: hodie conclusum, statutum, ac declaratum est, & consequenter Generalia Comitia Regia Maiestatis nomine stricte iniungunt, ac iubent vobis omnibus infra scriptis, vestrumque singulis sub violata fidei, ac perduellionis, indeque incurrendarum pœnarum, ac multarum interdicto, vt à recepto, viso, cognito, aut publicato hoc edicto, nullam habeatis, aut seruetis communicationem cum dicto Domino Archiepiscopo Firmano: nullo modo ad eum accedatis, nullis aut ipsiusmet, aut aliorum ipsi adherentium censuris, decretis, aut interdictis obediatis, aut faueatis, nec cuiquam iam ab ipso profectarum, aut publicatarum in causa inducianum, vllaue re alia ex quo nostra ad Sanctitatem interiecta est appellatio, vllisve omnino censuris, decretis, aut interdictis in alio quocumque negotio à dicto Domino Archiepiscopo Firmano, aut adherentibus ipsi, vel eorum quoquam antehac aut in posterum fulminandarum aut publicandarum, deferatis.

Praterea iniungimus, vt nec dictum D. Archiepiscopum, nec adherentes ipsi, nec eorum quemquam sub pœnis, ac multis iam dictis foueatis, sustineatis, aut defendatis. Hucusque extensa est declaratio.

Dirigitur autem edictum *ad Prætorem, Notarium, annuos Vice-comites, Principem iuuentutis, omnesque, & singulos Galuia vrbis ciues, vt & ad reliquos fœderatos Catholicos, aliosque omnes, quorum interest, per vniuersum Hiberniæ regnum.*

Verùm his nihil motus Reuerendissimus Nuntius nec regno se ad Comitiorum nutum profecturum respondit, nec, quod è re suâ pro tempore foret, eorum suasu intermissurum: quin imò ob Ormonij in arce Kilkennienſi, quæ sua est, præsentiam (eo enim illum circa initium superioris mensis in Hiberniam appulsum pro rebus faciliùs componendis Comitia inuitauerant) tàm ipse, quàm Cleri pars ipsi adhærens, vehementiùs commoti, nihil non dicebant, nihil non machinabantur, non solum Galuiæ, & alibi per omnes Catholicarum regionum angulos, sed etiam Kilkenniæ, etiam in ipsissimis Comitiis, quò pacis conclusionem denuò interturbarent.

Hoc nimirum esse extremum fidei discrimen, si hac pax cum Ormonio, & Inchiquino hæreticis hominibus fiat, nihil reliquum fore, quo Religio Catholica salua consistere posset. Hæc tandem esse, quæ ipsi præuidissent, prænunciassent, ac, nisi interceßisset Concilium, præcauissent.

Tum exclamare passim, inclamare om-

nes, qui in pacem propenderent, eosque tanquam æternæ damnationis reos, diabolique ministros palam detestari, dirisque omnibus deuouere, qui nimirum adeò præcipites ad perniciosissimæ pacis conclusionem ruerent, vt ne Fernensem quidem, & Plunkettum nuper Romam missos, iamque ad maritimas Galliæ oras reduces cum ingenti pecuniarum a summo Pontifice missarum summâ mox affuturos expectarent.

Tantùm hæc, aliasque his similia apud quosdam semper nimis credulos inualuerant, vt spes omnis concludendæ tùm pacis penè præcisa videretur, cum ecce tibi circa vigesimum Nouembris Episcopus Fernensis, ac N. Plunkettus à Pontifice eques auratus creatus, Vvaterfordiam appellunt, vnde mox ad Comitia profecti, non solum suspensos, ac dubios, verùm etiam repugnantes plurimorum animos inexpectato legationis euentu ad pacis consilia inclinant.

Referunt enim imprimis nullas fœderatis à summo Pontifice missas esse pecunias; nec vllarum post hac à sua Sanctitate domesticis in Italiâ bellis intentâ, sperandarum reliquum esse locum. Porrò, quod ad pacem cum regiæ partis hominibus etiam protestantibus faciendam spectat, moris quidem non esse summorum Pon-

tificum, vt fœdus vllum cum hæreticis sue nomine iniri velint: quominùs tamen id fiat, quando nihil melius, aut tutius pro Religione, ac natione in præsentiarum fieri potest, minimè per suam Sanctitatem stare, quæ sicut eiuscemodi pacem non suadet, ita nec dissuadet, sed eos solùm hortatur, vt viriliter, ac religiosè pro natione, ac fide Catholicâ agant.

Addunt legati sibi quidem videri pacis conclusionem non esse amplius Religionis nomine interrumpendam, quandò oblatæ conditiones ità in præsens admittendæ sunt, vt post stabilitam pacem in liberis, ac generalibus vniuersi regni Comitiis regio nomine cogendis, expectetur plura in Religionis ac nationis commodum cessura.

Reddita hæc à Fernensi ac Plunketto legationis ratio ora obloquentium paci ita obstruxit, vt quod opponerent nihil amplius haberent. Itaque concluditur tandem pax 17. mensis Ianuarij anni 1649. ac triginta quinque articulis ab vtraque parte signatis, ac Kilxenniæ prælo mandatis publicatur, quos etsi in pluresiam linguas transfusos non ignoro, ex parte tamen, eâ nimirum quâ religionem, vel indirectè, spectare videntur, compendio huic inserere visum.

Imprimis igitur Romano-Catholici Hiberni eximuntur à iuramento primatûs Regis

Angliæ in spiritualibus, simul & ab omnibus pœnis, & mulctis sibi religionis nomine ante hac impositis, omnesque pœnales leges in liberis regni comitiis primo quoque tempore post factam pacem habendis abrogabuntur.

2. *Sicut basilica ipsa & Ecclesiastica prædia ac iurisdictio per hos articulos non concedentur ipsis, conceptis verbis, ita nec auferuntur: imo quieta Ecclesiarum quas iam occupant possessionis retinenda securitas datur vsque dum regia voluntas super re in liberis comitiis declarata fuerit.*

3. *Intra sex menses à pacis conclusione celebrabuntur libera illa comitia, aut si id tum propter belli distractiones fieri non possit, fiet primo quoque tempore quo expedire videbitur duodecim Catholicis assessoribus quorum omnium aut partis eorum maioris consensus Proregi necessarius erit, pro re qualibet in Catholicis regionibus pertractanda ac statuenda.*

4. *Acta omnia, scita, ac statuta, per vtramque Anglicorum comitiorum Cameram, contra huius regni Catholicos hactenus edita, irrita manebunt, & cassa.*

5. *Ante indictionem comitiorum illorum eximentur omnino ac liberabuntur Catholici ab omnibus impedimentis quibus ante-hac à iure sessionis in eiusce modi generalibus regni comitiis in Religionis odium arcebantur.*

6. *Leges omnes, ac statuta, quibus in-*

digena à gerendis in republica quibuslibet muneribus distinebantur, contrario eorumdem Comitiorum statuto abrogabuntur.

7. *Licebit Catholicis vnam, aut plures academias, aut studiorum vniuersitates erigere, ac in Catholica iuuentutis vsum possidere.*

8. *Romano-Catholici ad vniuersa publica in regno tàm belli, quàm pacis munia exercenda pro cuiusque sufficientia, ac merito non secùs, quàm alij regiæ Majestatis subditi admittentur.*

9. *Exercitum ex* 15000. *peditum, & equitum* 2500. *Romano-Catholici propriis sumptibus vsque ad dicta comitia sustentabunt, quem armatorum numerum minuere, & augere, prout res postulauerit, licebit duodecim illis Catholicis Assessoribus Proregi in partem sollicitudinis assignatis.*

10. *Ex consensu vtriusque camera dictorum Comitiorum declarabitur huius regni Comitia ab Anglia Comitiis nullo modo pendere, aliumque ea nullum, quàm Regem superiorem agnoscere statuetur.*

11. *Statuta, quæ vellerum, ac lanarum commercio Hibernis, cum aliis vllis, quàm Anglis, & Scotis, mercatoribus, interdicunt, futurorum Comitiorum decreto abrogabuntur.*

12. *Monasteria omnia, isque annexa cœmeteria, horti aliaque, quibus præcinguntur, modo certum iugerum* [illegible] *non excedant,*

dant, monastica, seu regularis vita hominibus iam nunc ac in posterum quietè possidenda relinquuntur.

13. *Vrbium omnium, arcium, ac propugnaculorum, quibus nunc potiuntur, quietam, ac imperturbatam possessionem seruabunt Catholici, donec omnia in sæpius nominatis Comitiis plenius, ac cumulatius ordinata fuerint.*

Capita hæc ex pacis articulis, præteritis aliis, quæ cum Religionis, quod agimus, negotio, nihil habent commune, summatim decerpere, tibique proponere non abs re fore credidi, Alithophile, vt hinc, quæ fuerit Hibernicis animis Religionis cura, vel me tacente, ipse iudices.

Conferatur, si placet, hæc pax cum tot pacificationibus, quas cum Caluinistis subditis Christianissimi Galliarum Reges superiori seculo, toties impunè, imò & inculpatè renouarunt: Conferatur cum ea pace quam Philippus 4. an. 1648. cum Batauis eatenus sibi de iure subiectis, nec Apostolico Nuntio, nec ipso Apostolico Præsule intercedente fecit: Conferatur demùm cum eâ, quam Ferdinandus 3. Romanorum Imperator semper Augustus, aliique Catholici Germaniæ Principes eodem an. 1648. mense Octobri concluserunt cum Suecis, aliisque eorum Sociis, quâ non solùm nihil accreuit Ecclesiæ, de

nullis eius prædiis à protestantibus restituendis est conuentum, sed & quotquot ab anno huius seculi 24. per Imperatorem ipsum, ac alios quoslibet Catholicos Protestantibus iure belli, &, vt aiunt, armatâ manu, extorta sunt, eadem ipsis huius pacis tenore reddenda decernuntur; nemo tamen Imperatori talem facienti pacem repugnat, nemo reclamat, nemo eum propterea conuitiis proscindit, & lacerat. Quid, Apostolicum Nuntium, cùm hæc agerentur, defuisse, aut indormisse rebus Ecclesiæ dicemus? Nuntius quidem non defuit, sed Firmanus defuit, si iniqua hæc Germanica pax, cur summus ipse Pontifex vniuersæ militantis Ecclesiæ verum in terris, ac legitimum caput, non interceſſit? cur tam nobili corporis membro tam periculosè laboranti non succurrit: cur ignem ad morbum non prius adhibuit, quam reliquos depascatur artus? verùm nec id ipse fecit, nec Nuntio suo faciendum iudicauit. Aliud fortè dicemus, & quidem melius Firmani de rebus Ecclesiæ, quam Pontificis iudicium? aliud sanè esse compertum est, melius verò, aut sanius asserere, piaculum videretur. Certè si libertatem conscientiæ etiam sine vllis Basilicis, imò si vel tolerantiam Religionis suæ (quâ vtrâque iam à centum annis priuati sunt) suo illo bello postli-

miniò consecuti fuissent Hiberni, hisque contenti ad legitimi Principis Imperium posuissent arma, aut alio ea ad eius nutum conuertissent, non tantum non debuerant eo nomine Ecclesiastico mucrone feriri, sed omnium potius nationum laudibus efferri, omniumque historicorum monumentis poterant celebrari; quippe qui inermes ab armatis, inopes ab opulentissimis, simplices à callidissimis hostibus id in Catholicæ Religionis commodum expressérint, quod potentissimi Principes, maximique Monarchæ, quorum alter Ducis, ac Protectoris Ecclesiæ titulo, alter peculiare Catholici Regis nomine gaudet, pro Catholicæ Religionis profectu efficere non potuerunt.

CAPVT XVIII.

Reuerendiſſimus Nuntius 23. Feb. an. 1649. ex Hibernià abſcedit, neque tamen res Hibernicæ per plurimos è Regularibus, ſibi addictos, & vbique diſperſos turbare ceſſat. Epiſcopi Fernenſis, & Flunketti, quos ipſe Romam miſit curauerat ſcriptâ ad eum epiſtolâ, pacis nuper, cuius ipſi authores in primis fuerant vtilitatem, & neceſſitatem exponunt.

SED proh dolor! Reuerendiſſimus Firmanus, qui de pacis tam honorificæ inter partes Catholicam, & regiam concluſione, ac publicatione doctus, ad ſaniorem mentem redire debuit ac Eugenium ſuum ad concordiam reducere, Clerumque ac populum per vniuerſum regnum (dum alij pacem approbarent, auideque amplecterentur, alij reprobarent, ac reſpuerent) tumultuantes ſedare Regulares, ac præſertim ex Franciſcana familia plurimos, omnia ſeditionibus implentes compeſcere, potiùs Ormonio, Comitiis, paci, omnibuſque eius authoribus obloquendo, ac reſiſtendo, arida ligna incendio addere, diſcordiæ, ac odio-

rum radices iam plusquàm satis altè iactas continuatâ suâ dissensione augere, ac fouere.

Certè si vel tunc ad concordiam rediisset Reuerendissimus Nuntius intra paucos menses infestissimis quibusque hostium (qui non nisi nobis, aut cum regiâ parte, aut inter nos dissidentibus in regno manere ausi fuissent) vltrò abeuntibus, & natio tota & in eâ Religio Catholica liberata fuisset à miseriis, quibus tùm ob schisma tàm in Clero, quàm in populo inualescens fatigabatur, & eius conseruationi, ac incolumitati, etsi serò, satis tempestiuè tamen prospexisset. Sed ille alia omnia meditatus, siue quod pax se reluctante facta esset, indignatus, siue quod occultas suas molitiones efficacius alibi, quam in ipso regno ad optatum exitum perduci posse speraret, seu denique quòd Regiæ cædis paulò ante apud Londinum sacrilego facinore, omniumque, quotquot vbique sunt, bonorum linguis, & calamis execrando, perpetratæ, allatum nuntium nonnihil animum eius perculisset (nisi enim paci primùm, ac mox induciis reclamasset, auxiliares copiæ ad Regem ex Hibernia mittendæ, tam funestum eius casum fortsitan auertissent) veritusque sit, ne quid acerbius in ipsum, tanquam qui huic parricidio occasionem dedisset, exasperati regni

ordines decernerent, creatis anteà quibusdam bullatis, vt loquuntur, doctoribus nullâ re, vt fertur, nisi excitandis tumultibus, ac Reuerendissimi Domini, quantum in ipsis esset, votis promouendis, insignibus, quibus vt & aliis pleriſque facultatem relinquit pœnitentes, ac supplices, si qui occurrerent, à censurarum nodis absoluendi 23. Februarij anno 1649. sua sponte, nullaque habita ratione authoritatis Generalium Comitiorum (quatuor enim integros menses ab accepto discedendi mandato in regno moratus est) cùm nemo amplius ad discessum vrgeret, resque, vt videbatur, ad pacem tenderent, præter omnium expectationem Galuienſi portu soluit, ac paulò post menſe scilicet Martio ineunte in Neustriam Galliæ Prouinciarum appulit. Atque ita IOANNES BAPTISTA RINVCCINVS ARCHIEPISCOPVS FIRMANVS, AC INNOCENTII DECIMI PONTIFICIS SVMMI, AD HIBERNIÆ REGNVM NVNTIVS, HIBERNIÆ CATHOLICOS, QVOS INVENIT CONCORDES, FECIT DISCORDES, AC RELIQVIT DIGLADIANTES.

Hîc obiter memorandum Ormonium, cùm nefandam Caroli primi Regis cædem audiſſet, filium eius primogenitum Carolum ante hac Vvalliæ Principem Paternorum Regnorum ſucceſſorem, ac

Regem declarasse. Extat illa declaratio apud Petram Suirensem, vulgo Carrik, 26. Februarij edita.

Sed Reuerendissimus Nuntius, etsi in Galliam delatus, attentionem tamen Hibernicorum animorum nonnihil adhuc meretur; quippe qui res Hibernicas etiam in alieno regno continenter tractat: ac ne hactenus narrata ad Hiberniæ ruinam minus sufficerent, aut eorum inter se pacificationi à summo Pontifice tempestiuè prospiceretur, sex circiter menses in Gallia cunctando, circumeundo, & ob ambulando insumpsit, gnarus censurarum litem (quæ, ne eo absente decideretur, amicis eius concesserat Innocentius) interim pensuram, adeóque Eugenium Religionis velum omnibus suis conatibus obtendentem cum suo exercitu ad concordiam cum reliquis ciuibus interè à minimè rediturum.

Ipse porro quò animum ad res Hibernicas diligentius attenderet: dùm adhuc in Galliarum Neustria esset, conuentus à Doctore Tyrellio, Fr. Ioanne Pontio, ac Ioanne Mollony tum partis suæ apud Parisios Coryphæis, arcana habet cum illis de supprimendâ Ormonicâ factione (ita enim totius regni Comitia Catholica, quæ in pacem consenserant, per contumeliam nuncupant) colloquia, quin &

cum quodam Bernardino Abbate, cui nomen Crelly, negotiosiore, quam pro sanctissimi instituti monacho, tum Londini morante ita per litteras agitur, vt nihil non tentetur, quo Eugenij perduellio etiam apud Comitiales perduelles fulciatur, Catholicorumque legitimo Principi obedientium causa infirmetur.

Reliquerat in Hiberniâ Fratrum Minorum centenos plures ad quoduis pro euertendo regimine audendum paratissimos; etenim sub humilitatis habitu, pœnitentiæ professione, ac Religionis obtentu apud rudiores passim diuulgant iniquissimam pacem à corruptissimis Comitiis contra summi Pontificis votum, eius reluctante, ac reclamante Nuntio, ad integram Catholicæ Religionis ruinam concluſam, citra æternæ damnationis dispendium non posse admitti. Quotquot igitur in Deum fideles essent ac pii, pacem reprobarent, Eugenio Pontificiisque partibus desertis hæreticis castris, accederent.

Hisce de Fratrum machinationibus ab Ormonio per literas monitus R. P. Petrus Marchand Belga Franciscani ordinis per Germanias Commissarius Generalis, vir tam iudicio maturus, quàm scientiâ ac pietate conspicuus, mittit in Hiberniam venerabilem P. F. Redmondum Caronum cum potestate ampliſſimâ quoscumque

fratres (etiam ipsum Prouincialem) tumultuantes coërcendi. Huic accedunt, eiusque nutus obseruant plurimi viri optimi, sanctique sui instituti non specie solum, sed & reipsâ memores, gnauamque ei pro reducendis fratribus à professionis suæ scopo aberrantibus præstant operam. Sed vix quidquam proficiunt, tanta est quorumdam hominum peruicacia! Putant forte obsequium se præstare Deo, eamque infallibilitatem, quam in summo Pontifice de rebus fidei ex cathedrâ pronunciante, non nisi operosè, defendimus, etiam eius Nuntio falcem in alienam messem religionis prætextu, mittenti inesse volunt.

At enim hic est summi Pontificis nutus? hæc eius voluntas, vt nulla cum hæreticis nisi redditis prius vniuersis Ecclesiæ patrimoniis, pax ineatur? Verum, etsi Episcopi Fernensis, & Plunketti legationis ad Pontificem iam reddita ratio id falsò dici satis ostendit, tamen quando ad id cogimur, ipsos denuò per semetipsos loquentes inducimus in latina epistolâ suâ ad Reuerendissimum Nuntium iam in Gallias profectum, quam tibi subiicimus, toti huic de voluntate Pontificis, censurisque controuersiæ plurimam lucem allaturam.

Dominorum Reuerendissimi Episcopi Fernensis, ac Nobilissimi N. Plunketti ad Reuerendissimum Nuntium Epistola.

ILLVSTRISSIME DOMINE,

Nobis ad inuisendam Illustrissimam D. V. Galuiam euntibus, & tertium versus eam lapidem attingentibus (nomen loci Oram) die 23. Februarij circa horam 12. renunciatum est à duobus Capuinis Illustrissimam D. V. soluisse in altum horâ 8. Matutinâ eiusdem diei, audito hoc nuntio Galuia minimè visa illico iter reflexiimus ad castrum Illustrissimi D. D. Rogeri Oshaghnusi, censentes maius infortunium nobis accidere non posse; statueramus ante vestrum discessum missionis rationem in curia Romana exponere pro honoribus à Sanctissimo D. in nos collatis gratias referre, sacras vestras manus deosculari, benedictionem Apostolicam accipere, multa de Ecclesia Dei vtilia afferre, demùm peramanter valedicere, & preces, si opus esset, flexis genibus fundere, vt vellet D. V. Illustrissima populo Hibernico S. Apostolica obseruantissimo absolutionem à censuris hactenus latis impertiri, ita enim relictâ genti vestra benedictione omnium preces, & vota vos prosequerentur; sed iacta est alea, & sors nobis non

populus Hiberni- sedis Apostolicæ obseruantissimus.

fauit, in hoc etiam dolor noſter augebatur, quod certis authoribus intelleximus D. V. Illuſtriſſimam non obſcura offenſi in nos animi argumenta oſtendiſſe, dicendo beneficia à ſede Apoſtolicâ in nos prolixè cumulata obliuioni nos tradidiſſe, quod ſpatio trium menſium non adiuerimus D. V. Illuſtriſſimam ad gratias pro tantis Sanctiſſimi D. muneribus, ac dignitatibus agendas. Non potuit D. V. Illuſtriſſima excidere, nos in ipſo noſtro ad regnum appulſu litteris ad vos exaratis pro beneficio curiæ Romanæ in nos gratos exhibuiſſe, aliis poſteà literis cunctationis, & moræ noſtræ cauſas grauiſſimas intimaſſe. Certè, vt ingratitudinis labem auerſari, ita amicitiæ, atque optimorum officiorum nemininiſſe aſſueuimus; mora, atque abſentia noſtra ſemper eadem durauit cauſa, nempe cura, & anxietas, ne periret Hibernia diſcordiis miſere lacerata; quippe vidimus clarè vnionem regni penitùs diſſoluendam, ſine qua non magis ſubſiſtere valuit populus, quàm homo ſine anima viuere. Planximus controuerſiam inter Illuſtriſſimam D. V. & populum exortam (erat enim, erat inter vos chaos magnum) noluit D. V. Illuſtriſſima populum abſoluere, niſi humiliatum, & culpam in controuerſia agnoſcentem, talem autem humiliationem, & pœnitentiam nullis impetrare precibus potuimus, quia ſe innocentem æſtimauit. Teſtis eſt Deus omnem nos operam, & diligentiam in

Non vi
Nuntiu
abſoluc
populu
niſi ſu
plicè: n
vult
ſolui

ulus
uod se
redat in.
océtem.

Qui ad
uerint
Comitiis
e clero ?
ui de
icis op-
mati-
us ?

Nota
acé hic
ci non
atriæ
odò,
d &Re-
gioni
ecessa-
am.

arduo hoc negotio collocasse. In publicis regni, quibus superuenimus, Comitiis ciuitates, oppida murata, duo Archiepiscopi, Episcopi decem, tres Comites, Vice-comites duodecim, Barones septem, Equites aurati viginti, Armigeri, & Generosi ex tribus Lageniæ, Momoniæ, & Conatiæ Prouinciis præcipui, ac de Vltoniæ Prouinciæ viris nobilissimis nonnulli, demùm omnes hominum ordines propendebant ad pacem cum Serenissimo D. Rege ineundam, illam in malis, quæ patiebantur grauissimis remedium vnicum arbitrantes; nihil enim in regno videre erat nisi vastitatem, orbitatem, famem, desolationem, vnde vel eo tempore pacem ferire, vel Hiberniam perdi necessum fuit, & ipsam Religionem periclitari. Certe ne omnia in pessum irent, maluimus in assemblæa stare, quàm in latebris nos abdere, pro patriâ pugnare, pro pietate certare, omnia quantumuis difficilia, & aduersa tentando, vt patriæ ruenti, ac Religioni bene esset. Hæc anceps pacis dissertatio fuit vera cunctationis nostræ causa vsque ad 17. diem Ianuarij, quo tempore pax fuit conclusa. A pace cõtracta effluxit mensis integer in scribendo milite contra hostem patriæ & Religionis, in electione Tribunorum & Ducum, eorumque, qui præsidiis in castris præfici debebant, in pecunia ad bellum sustinendum necessaria cogenda. Hæc omnia spectabant ad securitatem Religionis, vitarum, fortuna-

rum, ac proinde abesse non nisi reclamante conscientia licuit. Absoluti vero hisce de rebus, & statuta resolutione, continuo iter arripuimus versus D. V. Illustrissimam, quo animo, & studio testari potest inter alios Illustrissimus Episcopus Imolacensis via, ac desideriorum nostrorum socius. Quod si forte itasit, vt non habeamus pristinam gratiam in oculis vestris, quia cum vniuerso regno in praedicta pace consensimus, pœnam luimus sine culpa, nam si quidpiam timore, aut amore potestatis humana à nobis perperam factum fuit, seuere nos plectat potestas diuina. Obtendent fortasse aliqui hac pace pietatem ex Hibernia proscriptam? longe aliter se res habet, nam tantum abest vt proscribatur, vt potiùs per hanc pacem pro temporum, ac status nostri conditione, Religioni, eiusque splendori, & libero, tutoque exercitio bene consulatur. Quod autem fauorabilior, & amplior non fuerit; culpa id nostra minime accidit, sed illorum, qui Hibernia vnionem bonorum virorum constantia, vigilantia, indefessis laboribus septennio integro conseruatam, nimis infœliciter lacerarant. Quod attinet ad censuras contra populum emissas (etsi eis nullatenus nos tangebamur) formidandas, & non spernendas duximus, diximusque, quanquàm optauimus, aut nunquàm fulminatas fuisse, aut cito extinctas. Cum igitur, quam Deo & Patria debuimus, cura nos tamdiu impedi-

Immeri
to ex agi
tantur
Catholi
Hiberni
quòd i
pacem
consens
rint.

Per han
pacē pie
tati &
Religio
ni consu
litur.

Quod pa
Religio
fauorab
lior nō
fuerit d
uisionis
authori
bus asc
berdun

Quid
censuri
sentiant

uerit ab humanitatis officio, debitâque obseruantia Præsulis tam eximio, ac Sedis Apostolicæ Nuntio: obsecramus, rogamusque, vt non culpemur, damnemurue innocentes, sed patiatur D. V. Illustrissima, vt nostram causam dicat, agatque veritas bona in nobis conscientia testis, qua continuam D. V. Illustrissimæ beneuolentiam, & in [illegible] amerem iure vendicat. Cuius rei indices gratia vestra literas auide videre exoptamus. Interim orare [illegible] cessabimus, vt Deus diu sospitet D. V. Illustrissimam, cui sacras manus deosculantes Apostolicam benedictionem humiliter flagitamus.

D. V. Illustrissimæ humillimi, addictissimique serui
Nicolaus Fernensis, N. Plunkett.

Kilkenniæ vltimo Februarij 1648. veteris stilo.

Superiùs obseruatum Fernensem, ac Plunkettum Reuerendissimo Nuntio semper fuisse addictissimos: proindéque certum est ab omni pace, quâ eius votis minus satisfieret, alienato animo ante-hac vbique extitisse. Quam quidem ob causam eius operâ effectum, vt illi potius, quam alij quilibet ad summum Pontificem legarentur, quasi Romæ in proposito suo de respuenda omni pacificatione cum Regiâ parte confirmandi. Verum longè aliter, ac sperauerat, euenit; Illi

quippe à Pontifice, vt iam dictum est, reuersi, vacillantes omnes, ac etiam aduersantes plurimos Comitiorum proceres, secum ad amplectendam pacem traxerunt. Quo vel vno argumento, etiamsi alia omnia deficerent indicia, euidens fit, nihil minùs verum esse, quàm Pontificem noluisse eiusmodi pacem ad eliminandum communem hostem, nationemque seruandam cum regiis iniri.

Nec vacat etiam mysterio, quod tamdiu in patriâ priùs fuerint, quàm Reuerendissimum Nuntium, inuisere statuissent, id enim factum videtur tum ob causas quas ipsi reddunt, tum quia dissuasurum eum conclusionem pacis, fortè etiam sub censurarum interminatione nouerant, tùm demum, vt indignationem suam ob factam per eum Catholicorum diuisionem hac diuturniore reddendi officij morâ manifestarent: quanquàm id ipsius quoque, quam ad eum scripserunt, conceptis epistolæ verbis satis prodant. Denique pacem dicunt etiam ipsi Religioni, eiusque splendori perutilem, quódque melior non fuerit, in diuisionis authorem refundunt. Hunc vero fuisse Reuerendissimum Nuntium, perspicuum est; Id autem recens ab oraculo reuersos, viroſque cætera Ecclesiastici splendoris adeo studiosos dissentiente Pontifice neutiquàm di-

cturos fuisse certissimum esse debet: nisi quis adeò desipiat, vt eos sacro Collegio, ipsoque visibili Ecclesiæ in terris Capite viso, atque consultò minùs religiosos, minùsque in promouendo Ecclesiæ bono, splendoreque curando, alacres factos credat.

CAPVT XIX.

Regularium Nuntio addictorum pro Eugenij O Neillij rebellione, molitiones ipse O Neillius Anglis parricidis pacem inire se paratum significat deterioribus multò conditionibus quàm quæ à Proregè concessa fuerant, & ipsi quotidie offerebantur.

SED frustra hæc omnia canuntur fratribus quibus jampridem statutum omnia turbare; quique non obstante pacis conclusione, ac publicatione, bonorumque omnium consensione, ac lætitiâ ob concordiam inter partes Catholicam, & Regiam pacis vinculo redintegratam, currunt, clamant, tonant, fulminant, in Proregem, in comitia, in assessores, nec vllum relinquunt regni angulum à schismate immunem, quin aliquos vbique Eugenio fautores aut faciant, aut nutriant.

Exactam

Exactum è regno Pontificis Vicarium, virum sanctissimum, optimum, qui sustinendæ Catholicæ causæ tantas pecunias summas contulerit, tot arma ministrauerit, pluraque in dies in regnum, & in Ecclesiam, ac maiora fuisse congesturum beneficia, nisi prævalente Ormonij factione tam ignominiosè ejectus, Hibernos cœlestis ira reos faceret. Nunc igitur ad euadendam tàm imminentem nationis ruinam, quàm æternam damnationem, nihil reliquum esse, nisi impiissimâ pace reprobata, extinctaque Ormonij factione Eugenij parti accedentes, tandem efficiant vt Reuerendissimus Nuntius adhuc in Gallijs hærens priusquam longiùs recedat, postliminio reuocetur, eique, quod par est, rerum summa committatur.

Mirum quantas hæc aliaque id generis innumera, turbas concitauerint? quam multas, & varias in partes, ac studia non solum contraria, sed & sibi inuicem aduersantia, ac exitiosa, Catholici populi animos scinderint, ac distraxerint, cum fratres toti in id incumberent, vt Eugeniana rebellio prævaleret, rati deinceps fore vt Reuerendissimus Nuntius reuocatus, maiore quàm ante-hac vnquam, potestate rebus Hibernicis præsideret. Et verò non desunt, qui affirmare ausint, reuerâ ipsum tamdiu in Gallia immoratum, quod his fratrum molitionibus, Eugeniique à reliquis dissensione, speraret se bre-

ui in Hiberniam reuocandum ibique summa rerum potiturum. Constat eum, quoties rumor erat de Eugenij cum Ormonio reconciliatione, sæpius dixisse id nec verum esse, nec vnquam fore. Ac si ipso authore fixum esset illi duci nunquam cum ciuibus suis in gratiam redire. Vt vt fit, dici non potest quantorum malorum hæc semina fuerint.

Cæterum ipse Eugenius O Neillius princeps militiæ hominum illorum nihil interim non moliebatur, quo patriæ ruina maturari posse videretur. Confidens enim cum suo exercitu in comitatu Monoghano, qui Vltoniæ Prouinciæ pars est, Dublinium aliasque vrbes Ioni parentes à læuâ meridiem versus, à tergo autem Dundalkum, Carlingfordium, Neurium, aliaque oppida, ac munitiones quibus Munkius & ipse Comitialium stipendiis militans, præerat.

Eugenius cum Comitialibus paciscitur, vt Catholicos diuexet.

Facta cum iis omnibus nationis ac religionis hostibus, seu potius prorogatâ armorum cessatione, rerumque omnium commercio, atque commeatu, puluere bellico, aliisque necessariis, ab iis subinde acceptis, de cætero totus in eo est, vt ciues suos fatiget, & vexet: quare sæpiusculè in Catholicos fines incursiones facit, arces magnâ nonnunquam illatâ, alias receptâ clade expugnat, prædas agit, captiuos

abducit; demùm in hostes nihil hostile, in fratres nihil non hostile exercet.

Sollicitatur sæpius à Prorege de concordiâ cum reliqua natione ineundâ, cuius & ipse nonnunquam desiderio se teneri missis etiam legatis significat; Verùm nunquam iis contentus quæ concedi poterant, varia semper ac præter modum ampla, & quæ necessariò sibi deneganda sciebat, pertinaciter postulabat: quo factum, vt & ipse in discordiâ sine suo vitio speciosè permanere videretur, quippe qui concordiæ cum ciuibus ineundæ votum præ se ferret; & omnem dissensionis partium vituperationem in Proregem coniiceret, qui iusta ac necessaria postulanti sibi denegaret.

Eugen. us ad p cem cu ciuibus ineũda sæpius inuitat refugit.

Nolim mihi credas; quin horum tibi fidem ipse faciat. Pacem enim cum Comitialibus inire cupiens & quidem conditionibus tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, iis quæ in superiore pace à Prorege concessæ fuerant, quæque ipsi quotidiè etiam cum priuati commodi accessione offerebantur, plurimum inferioribus, his ipsis verbis scribit ad Munkium.

DOMINE.

Epistolam tuam vicesimo primo datam nuperrimè recepi, nec prius tibi respondere valui, ea quod cessationis articuli, ibidem in-

Eugen. Epistola ad Mun kiũ Co

ialem
cem.

igenius
rpetuã
cem
m Co-
ittis
nglicis
ire de-
derat.

cluſi nonnihil eſſent aquo breuiores, adeoque nec iis niſi ampliatis ſubſcribere poſſem. Patricium Macmahonium Centurionem ad me miſi cum poteſtate ſuper eo negotio iuxta tradita ſibi mandata tecum agendi, & concludendi, vt & tradendi tibi quaſdam propoſitiones Angliæ Comitiis præſentandas pro firma pace inter ipſa & partem noſtram ſtatuenda. Quarum quidem propoſitionum ſubſtantia, ſi bene memini, ad Colonellum Conem iam miſſa fuerat; ad quas ille, quod miror, nullum adhuc reſponſum dedit. Quæcumque conciliatio à prædicto capitaneo circa præmiſſa omnia facta fuerit, ea me omneſque mihi adherentes obligabit, pactiſque fideliter ſtabit,

DOMINE,

Humilis ſeruus tuus,
Eugenius O Neillius.

Propoſitionum porrò quas per capitaneum illum miſiſſe ſe memorat hic titulus eſt.

Propoſitiones per Generalem O Neillium, Pares regni, nobiles, ac tertium ordinem ſeu communes fœderatos Vltoniæ Prouinciæ Catholicos. Honoratiſſimo Potentiſſimoque Angliæ Parlamento præſentandæ.

1. *Vt leges [illegible], ſtatuta ac multæ im-*

posita, aut conclusa contra Romanam Catholicam religionem eiusque ministros, & professores, eorum libertatem, ac liberum eiusdem religionis exercitium ab anno 20. Henrici VIII. reuocentur, rescindantur, ac in perpetuum abrogentur, idque scitum tam ad præsentes dicta partis homines, quàm ad successores eorum extendatur.

Eugenii propositiones Comitiis Anglicis pro obtinenda ab iis pace exhibendæ.

2. *Dictus Generalis postulat vt Amnestia seu perpetua obliuio facinorum quorumlibet perpetratorum ab ineunte* [illegible] *1641. ad omnes, & singulos partis suæ homines extendenda publicetur.*

Eugenius nec Basilicas, ne Ecclesiastica prædia à Comitiis petit.

3. *Postulant vt Generali O Neillio de munere in exercitu natalibus, honori, ac merito eius conuenienti, prouideatur.*

4. *Vt agri omnes à parte illâ, eorumque maioribus à 1. Iacobi Regis* [illegible] *illegitimè extorti restituantur.*

5. *Vt pars illa quorumlibet reipublicæ mu*[illegible] *tam in bello quàm in pace exercendorum habilis seu capax reddatur.*

6. *Vt omnes inhabilitates, incapacitates ac diffidentiæ notæ parti illi ante hac per comitiorum scita, aut alio quouis modo, iniustè, aut impositæ, rescindantur.*

7. *Vt iræ, odia, ac simultates vtrinque deponantur; concordia, amor, & amicitia inter vtramque partem redintegretur, ac publicetur.*

8. *Vt Generalis Eugenius O Neillius in pos-*

sessionem prædiorum maiorum suorum postliminio inducatur, vsquequò discussum fuerit, vtrum iure, an iniuria bona illa ipsis ablata fuerint.

9. *Vt eidem parti commodus in prouincia vltonia portus concedatur.*

10. *Vt exercitui Generalis O Neillij eodem modo in omnibus prouideatur, quo reliquis exercitibus prouidebitur.* subscribuntur hæ propositiones.

Eugenius O Neillius.

Prætereo quod honoratissimum vocat infamem illum Anglorum conuentum, postquam execrabili ac detestando probis omnibus parricidio communis se Regis cæde fœdauit: hoc inquam sileo, vt moneam primò pacem cum Ormonio, anno 1646. factam quam ipse cum Reuerendissimo Nuntio proscripsit, non solùm pacta illa quibus sibi satisfactum iri promittit, sed & alia tam in spiritualibus quàm in temporalibus multò vtiliora, ac tutiora, cumulatè continuisse. 2. eum de basilicis bonisque Ecclesiasticis quorũ acerrimus defensor à præconibus suis habitus est hactenus, ne verbum quidem illis inseruisse postulatis; quibus tamen concessis pacem cum parricidis, nationis ac religionis hostibus firmam, vt loquitur, ac stabilem feciſſet. 3. paratum illum fuisse

Vtiliores erant cõditiones pacis quã an. 1646. proscripserat quã illæ quas

ad se, suos, suaque omnia illis conditionibus, comitialibus dedenda, nationemque suam ad eorum nutum extirpandam, qui eo ipso tempore, quo hæc tractabat, leges pluribus nominibus honestiores sæpiùs ab Ormonio identidem oblatas contemptim respuebat. Quæ omnia quid aliud nobis manifestant quàm hominem illum nescio quibus perturbationibus agitatum, furiisque percitum, sub velamine religiosi zeli, religionis ac nationis ruinam vnà meditatum esse.

Verum etsi hæc ipsa postulata conditionibus initæ cum Ormonio pacis collata, pluribus titulis abiectiora sunt, ac magis indecora, ne sic quidem, nisi adhibito prius temperamento Munkius ad comitiales transmittenda iudicat. Quare, reliquis parum aut nihil immutatis, propositiones tres, primam scilicet, quartam, & octauam recudit, easque ad Eugenium remittit, ad lito, sic facilius à comitialibus admittendas. hæc porro est propositionibus illis noua forma à Munkio data.

1. *In primis postulant* (Eugeniani videlicet) *vt quotquot se Generali Eugenio O Neillio in Parlamenti obsequio iunxerint, libertatem conscientiæ tam pro se, quàm pro suis posteris habeant.*

4. *Vt agros suos quos ante inchoatum hoc bellum possidebant, tandiu ipsi & posteri pos-*

conced
Comiti
les fac
sibi sa
iri pr
mittit.

Mul
melior
abOrm
nio qu
tidiè
oblatas
pertina
citer,
has p
stulat,
puit.

Euge
postul
tempe
rantur
Munk

sideant, quandiu in fide erga Rempublicam Anglicanam permanebunt.

8. *Vt Generalis Eugenius O Neillius titulo mercedis nauandæ operæ in conseruanda re Parlamenti Anglicani in hoc regno maio-[illegible] suorum, aut alia eiusdem valoris prædia, obtineat, ac possideat.*

Reddit & facti rationem in hac sua ad superiorem Eugenij epistolam responsione Munkius, qua est cessationis prorogationem ad tres menses petit.

DOMINE,

Literas tuas 25. Aprilis datas accepi, vidi etiam traditam à te Capitaneo Hugoni à Mac-mahonio potestatem pro pace mecum, tam tuo quàm parentium tibi copiarum nomine tractanda atque concludenda. Propositiones tuas perlegi, [illegible] quibus cùm nonnulla esse iudicarem, quæ Parlamentum Angliæ pri-[illegible] aspectu concedere refugeret [illegible] aliquas nonnihil [illegible] confidentiùs mutaui, quod pro comperto habeam rem tuam [illegible] minimum quidem inde detrimentum esse capturam; quin potius efficit mutatio illa, vt maiorem illi [illegible] te, tuaque parte fiduciam collocent, quàm & te spero, tua in [illegible] obsequio fidelitate, sinceritate, [illegible] diligentia abundè meriturum. Si propositiones vt à [illegible] mutatæ & recusæ sunt, tibi probantur, eas, quæso, signo & sigillo tuo [illegible], ad [illegible] remitte,

orte Hu-
nē pro
atritio
ni in Eu-
nij lit-
ris no-
inatur,
ofuit.

vt

vt eadem ego Anglia Parlamento, quàm primum præsentem, eiusque fauorabilem super iis responsionem obtineam. Interim peto, vt iuxta inclusam cartham trimestres inducia inter nos concludantur, & inuiolabiliter inter vires nostro imperio subiectas illius temporis decursu seruentur. hæc Munkius.

Quis crederet Eugenium fidei, si vera canunt fratres, vnicum defensorem, patriæque liberatorem, consensurum fuisse in pacem cum sacrilegis comitiis nulla facta mentione abrogationis legum pœnalium in Catholicos pridem latarum, aut restitutionis basilicarum, aut prædiorum Ecclesiasticorum, cùm antea discessisset à ciuium Catholicorum consensione eo solùm nomine quod illi in semestrem armorum cessationem, ob causas superiùs tactas cum ciue suo, quanquam protestante, communi tamen Regi tum militante, descenderint? Quis crederet hibernum ex tam illustrimerorum (vt loqui amant) Hibernorum familia natum, prædia sua (quæ ipsa aut alia æquè fructuosa legitimi Regis nomine vltrò offerebantur) tanquam præmium locatæ in extirpandis popularibus operæ, à perduellibus hæreticis accipere malle? Quis denique senem, cæterà calidissimum æquo animo laturum fuisse putaret, vt sibi à Munckio tam facilè illuderetur, & in apertum laqueum

cum suis per verba illa, *vt agros sinos tandiu ipsi & posteri possideant, quamdiu in fide erga Rempublicam Anglicanam permanebunt*, induceretur? manifestum enim est hanc legem à Munckio appositam, vt subactâ prius, aut excisa potius reliquâ natione, non deesset perfidiæ quasi in Rempublicam velum, quod Eugenij, & suorum excidio obtenderetur. Fidem hæc, vt equidem reor, nec apud præsentes, nec apud posteros habitura essent, nisi interceptæ huius vtriusque epistolæ & articulorum non exemplaria, sed & autographa ipsa Eugeniana manu signata apud Catholicos regiminis Assessores viserentur. Vetumtamen Eugenius & cessationem armorum, vt petebat Munckius, & verò diuturniorem quam petierat cum ipso fecit, & articulos ab ipso reformatos probauit, &, vt postulauerat, ad eum remisit, & cum paulò post, per legatos à Prorege missos. (Ita enim agebat vir duplex animo) etiam cum ipso de partium cõcordiâ, conditionibus multò melioribus conuenisset, vtque instrumentum signaret monitus, fuisset, ac deindè cum copiis suis Proregi Dublinium versùs mouenti occurreret, respondit se inducias cum Munckio vsque in mensem Augustum postremum, quas violare non posset, concluisse (ratus scilicet interim fore, vt conditiones pacis

Eugenius temperatis à Munkio articulis subscripsit.

quas iam memorauimus, à Comitiis probatas per Munckium reciperet) emenſo autem illo breui temporis ſpatio rem ſecum Prorege iiſdem conditionibus compoſiturum. Plurima hîc non tam conijcienda, aut exploranda, quàm comperta, ac obuia penè, euentilare poſſem: niſi ſatius ducerem ad alia ſtilum vertere.

CAPVT XX.

Eugenij in rebellione obſtinatio Ormonium vires ſuas diſtrahere cogit. Lata nihilominus noui regiminis initia multis arcibus hoſtibus ereptis, ita vt duæ ſolùm in tota Hiberniâ vrbes illis reſidua eſſent, ſed grauiſſima clades in obſidione Dublinienſi ab Ormonio accepta, Cromwuello in Hiberniam cum fortiſſimo exercitu irruendi occaſionem præbuit.

VIx credas quantum hæc Eugenij pertinax rebellio non ſolùm communes hoſtes, verùm etiam falſos vbique fratres animauerit, qui auditâ illâ Eugenij obſtinatione acriùs ſolito artibus ſuis inſiſtere, & quorumlibet animos ad apertam rebellionem inſtigare ſatagunt; vndè & neceſſarium fuit Catholicas vires in varias Catholicarum regionum partes diſtra-

here, quibus, si fieri posset, refractarij reducerentur, & nascentes subinde, ac pullulantes penè vbique noui tumultus supprimerentur; quò factum, vt Prorex non nisi paucioribus, quàm quæ rei peragendæ pares erant, copiis in communem hostem mouere potuerit.

Mittitur nihilominùs mense Maio postremo Clanricardiæ Marchio ad recipiendum Sleghaum maritimum Conaciæ portum, aliasque nonnullas eius Prouinciæ munitiones reducendas. Quod etsi impigrè à Clanricardo susceptum, satisque fœliciter, ac maturè præstitum est, non est tamen ausus Prorex ipsum cum copiis, quibus præerat, ex eâ Prouinciâ, quanquam iam à communi hoste prorsus liberatâ, in suum accersere subsidium, veritus ne factiosi nouas ibi turbas eo abscedente concitarent, ac Eugenius, qui id solum expectare iudicabatur, tumultuantibus accurrens, denuò omnia ferro ac flammâ vastaret.

Missi quoque in comitatum Vvickloënsem (tractus ille maritimus est à Vvexfordiâ Dublinium vsque ad orientem extensus) Thomas Esmondus, & Edmondus Butlerus equites aurati contra Birnos, & Kauanos Eugenianæ factionis Catholicos.

Rebus, ita vt potuit, potius quàm vt

voluit, disposítis, Dublinium versus mouet Prorex mense Iunio primo anni 1649. captisque obiter quibusdam munitionibus, quas tenebat Eugenius, ad quintum ab vrbe lapidem castra metatus est. Ibi inito consilio, rebusque omnibus perpensis in eam sententiam itum est, vt quando distractis iam in varia loca viribus Dublinium capi non posset, aliæ saltem vrbes, & propugnacula minora in potestatem redigerentur; interim fortasse, aut tum saltem, Eugenium cum suis in partem vēturum; aut sanè aliundè vires affuturas, quæ obsidendo, ac premendo Dublinio sufficerent interim cum aliquâ exercitus: parte iuxtà considendum, vt commeatu ac subsidio terrestri, quantùm fieri posset, priuaretur.

Est autem Dublinium Hiberniæ regni caput, vrbs maritima in Lageniâ Prouinciâ ad Orientalem solem in Liflei fluui ostio, loco peramœno sita, Aurelijs Galliarū, vt aiunt, major potius, ac populosior, quàm minor: portus eius non adeò spatiosus, nec recipiendis maioribus onerariis nauibus idoneus, sed minoribus, actuariisque omnibus statio tutissima. Huc appulerant nuper ex Angliâ copiæ sufficienti pro defendendâ vrbe numero, nec appellentes quotidie sine validâ classe, aut justo exercitu propelli poterant. Satis ergò pro tem-

pore videbatur, præsidiarium militem numerosum quidem illum, ac lectissimum Ioni Duci apud suos clarissimo parentem, ab incursionibus in vicinas regiones continuandis, moxque legendis frugibus cohibere.

Prorex igitur mittit Inchiquynum cum fortissima exercitus parte ad statutam minorum vrbium expeditionem; ille breui post Trymum capit, mox Vadipontum, alijs Pontanam, nobilem vrbem vigesimo à Dublinio lapide, versus Septentrionem ad mare positam, etsi operosiùs, ad deditionē cogit. Inde Dundalkum versus raptim profectus, cæsis, ac profligatis mille ducentis ex Eugenianis, qui Munckio contra imminens discrimen supperias ferebant, (ipso Munckio maritimâ fugâ in Angliam elapso) oppidum in suam potestatem redigit: secuta inde spontanea Carlingfordiæ ac Neurij; maritimorum etiam oppidorum deditio: Plures etiam è Scotis nobilibus Vltoniam Septentrionalem Hiberniæ Prouinciam incolentibus munitiones, quas hactenus Comitialium nomine tenuerant vnà & copias quibus præerant, ad regias partes transire compulerunt, ac nominatim Barones Ardesius, & Clannaboyus, Georgyusque Monroëus militiâ apud suos satis clarus; demùm tota Vltonia exceptâ solâ Coloniâ Londinensi,

vulgò Londonderry, regiam Caroli. II. authoritatem agnouit, inque eius partes transiit. Ipse interea Prorex arces omnes circa Dublinium hoste purgauit, adeò vt mense Iulio postremo duæ solùm superessent Comitialibus in Hibernia vrbes Dublinium & Colonia Londinensis.

Duæ residuæ Comitialibus in tota Hibernia vrbes

Læta hæc noui regiminis initia sub auspiciis Caroli secundi, Ormoniique imperio, fœlicem ciuilis belli exitum breui pòst tempore non tam promittere, quam demonstrare videbantur. Et verò res Catholica simul, & regia bonorum omnium tam votis, quàm recens de vtraque conceptæ spei tum demum respondisset, nisi, qui vnus communem causam labefactare poterat, obstitisset Eugenius. Is igitur in tradita Munckio fide damnabiliter pertinax, ac perfidè fidelis, non solùm ad conciliationem cum suis consentire, aut communi hosti, statimque, si vel quieuisset, expiraturo, incommodare detrectat, verùm etiam nostris vbique aduersatur. Pessimè habebant ambitiosum, atque inuidũ hominem, quique nihil fœliciter geri nisi per se, aut secum ferre poterat, tam prospera Proregis principia: malè etiam metuebat sibi, ne si Colonia Londinensis in Vltoniâ, & Dublinium regni caput in Lageniâ, se in rebellione contra statatũ regiâ authoritate nationis administrationem persisten-

te, subigerentur, ipse cum suis commeritam perduellionis pœnam lueret. Sperabat quoque Munckium, quem Dundalum in Angliam lembo fugisse diximus, causam suam gnauiter apud Comitiales acturum, ac pacis conditiones, quas supra memorauimus, à perduellibus Comitiis approbatas, & concessas propediem ad se missurum. Quare, vt maiorem sibi apud impios homines gratiam conciliaret, aliquo insigni facinore eos sibi deuincire statuit: obsidebatur tum ab Ardesio Colonia, quam vnicam in Vltonia Comitialibus reliquam esse monuimus. Eugenius igitur obsidionem soluere proponit, adeòque contractis copiis in intima Prouinciæ penetrat, & quia prædas Laganici tractus acturus videbatur, detractæ ex viribus, quæ vrbem cingebant copiæ, in subsidium illius regionis ab Ardesio mittuntur: quod vbi intellexit ille, itinere è vestigio ad obsessam vrbem flexo Ardesium inopinato sui aduentus terrore perculsum ab vrbis confinio fugauit, tum Carolo Cooto infestissimo Hibernici nominis & Catholicæ Religionis hoste, qui vrbem defendebat, secum assumpto, in Laganicum tractum irrumpens regiones omnes Regi parentes lacè depopulatus est.

Contigerat paulò ante, quam hæc Eugenius in Vltoniâ agenda suscepisset, vt

Inchiquynus cum validâ earum, quibus ipse præerat, copiarum manu ad Momoniam præfecturam suam plusquam centum millibus à Dublinio distantem regredi coactus fuerit, ad comprimenda Corcagiæ, Youghelliæ, Kinsaliæ maritimarum vrbium Anglica præsidia, tum indicia futuræ mox proditionis edentia, quo factum, vt Prorex semper iuxta Dublinium considens nondum vires haberet cingendæ tantæ vrbi pares, nec Conacenses acciri poterant, ne Eugenius è vicinâ vltoniâ in eam prouinciam statim inuolaret, nec Septentrionales Ardesius, aut Monroëus cum suis adesse valebant, quos in prouinciâ suâ impensiùs agitabant Eugenius, & Cootus. Aliunde verò nouæ vires ex Angliâ quotidiè aduentabant, straturæ scilicet viam Oliuario Cromvvello infami Regis Catoli parricidæ, mox cum integro exercitu in Hiberniam traiecturo. Fama est hostem exactis omnibus Catholicis ciuibus, iam excreuisse in vrbe ad sex circiter peditum, ac duo paulominùs equitum millia: Anxius inter hæc Ormonij animus, quòd Eugenium omnia pessumdantem nullâ operâ ad concordiam allicere posset, nec quidquam omnino, nisi capto Dublinio se præstitisse credebat. Statuit igitur, vtcumque casura res esset, propiùs accedere, continuatisque

pedetentim aggeribus vrbem premere. Verùm ne Eugenius, qui à Septentrione, si promotam Dublinii obsidionem inaudiret, suppetias obsessis allaturus erat, Septentrionalem vrbis regionem inobsessam reperiens liberè ingrederetur: ita diuidendæ erant Proregis copiæ, vt interiectis (præter amplam vrbem) fluuio ac freto tempestiuum sibi mutuò subsidium ferre nequirent. Et verò, quia formidolosior habebatur Eugenius, quàm obsessus in vrbe hostis, quamuis numerosus, præter tres veterani militis legiones, mille ducenti equites lectissimi sub Vice-Comite Dillon de Costologh ad Septentrionem Liffei fluuii eius irruptioni obiiciuntur.

Prorex ipse cum reliquis copiis ad vnum ab vrbe lapidem mouens castra, in meridionali eius plaga ponit, aggeremque in vicinià cœptat, quem si tenere, ac munire valuisset, mox ipsum portum, in quo obsessorum tota spes erat, & salus, ipsis nequicquam repugnantibus obstruxisset. Verùm postridie eiusdem, qua appropinquauit, diei, decimo scilicet mensis Augusti, cum nihil minus excubitores nostri cogitarent, remissiusque quam par erat, munus suum obirent, horâ circiter decimâ matutinâ. Iones cum mille ducentis equitibus, ac peditum quatuor millibus erumpens structores aggeris, pedi-

temque custodientem primùm inuadit, turbat, cædit, fugat; mox re succedente audacior factus in ipsa iam turbata castra inuolat, vbi omnia consternatione perculsa reperiens, post duarum triumve horarum pugnam à nostris, prout quisque alius post alium tumultuariè accurrebat, cœptam, ac parùm fœliciter sustentatam, rerum potitur.

Cæsi in eâ pugnâ, aut capti circiter duo millia, tormenta bellica nouem, aliaque omnia impedimenta, ac spolia valdè opima penes victorem manserunt: qui & inter reliquos captiuos abduxit secum in vrbem iam obsidione liberatam Richardum Butlerum germanum Ormonii fratrem, virum non minus probitate morum, vitæ innocentiâ, ac catholicæ religionis sincerâ, ac firmâ professione, quam natalium claritate conspicuum: Georgium quoque Matthæum vtriusque vterinum, & ipsum catholicum, Richardum Belingum iuniorem Ormonio etiam necessitate coniunctum magnæ spei adolescentem pluriumque ac magnarum virtutum specimine in iuuenili ætate conspiciendum aliosque plures eius necessarios. Ormonius autem ipse in pugna ducis & militis parte priùs egregiè præstitâ, & aliquot glandibus in ferreo, quo munitus erat, thorace exceptis, iamque castris plenè exutus Caterlaghum,

ad triceſimum circiter lapidem ſe recepit.

Prætèr copiarum diſtractionem, quam iam ob Eugenii metum factam ſuprà monuimus, occaſionem huic noſtræ cladi præbuit quorumdam Hibernorum ductorum peruicacia, nimia confidentia, imprudenſque hoſtis contemptio. Etenim ſi quidam inferiores duces paruiſſent imperio, ac, pro vt iuſſerat Prorex, quingentos equites pro foſſorum cuſtodiâ, vnà cum mille quingentis peditibus, qui ibidem collocati fuerant, in procinctu habuiſſent, hoſtis, aut non fuiſſet auſus noſtros aggredi, aut ſanè pugnatum ibi aliquandiù eſſet, aliique ſe interim ad pugnandum vnà diſpoſſuiſſent, nec inopinatus terror cum inſiſtente hoſte in ipſa ſtatim intima caſtra penetrans compoſitam etiam armorum ſumptionem, acieique ipſius inſtructionem interturbaſſent.

At noſtri illi duces, dum exequi imperia præfractè negligunt, dum contemptim de hoſtibus ſentiunt, ac loquuntur, dum ſuis viribus & animis præfidunt, ſe, & ſua omnia ſimul peſſumdant. Quin & tantam fuiſſe quorumdam, etiam ex ipſis ducibus cæcitatem compertum eſt, vt hoſtibus manum iam cum ſtationario milite conſerentibus, non ſolùm non ad arma concurrerint, non aciem inſtrui, aut equos parari iuſſerint: verùm etiàm ad editiora & com-

modiora loca quasi ad spectandam ludicram exercitationē certatim confluxerint. Erant, & qui dicerent, AD LVDVM INVITARE PERDVELLES. Imò non defuerunt plures qui (forte ne animum despondisse viderentur) cladem illam rem nihili esse pronunciarent, rebusque Hibernicis parum, aut nihil ob futuram affirmarent. Reuera tamen dies ille, nisi omnino exitiosus, cruentus saltem, ac funestus extitit Hiberniæ: nam & regni caput hostibus reliquit, & Ormonium licet immeritissimo aliquanto suspectum, nonnullis etiam viris cæterâ bonis reddidit, vndè factum, vt iustum exercitum satis tempestiuè cogere non valuerit: & Eugenianis animos ad obloquendum addidit: demum, quod omnium exitiosissimum est, Oliuarum Cromvvellum, qui iampridem apud Bristollium cum exercitu hærens, hactenus varia causatus, moras moris, ne traiiceret, vltrò nectebat, quasi strato ponte ad transportandum in Hiberniam exercitum inuitauit. Equidem hominem istum, qui tam illustrem apud perduelles consecutus fuerat famam, ac opinionem, vt inuincibilis putaretur, tot reportatarum à se de regiis, superioribus annis, sine vllo vel minimo aduersantis fortunæ indicio, victoriarum gloriam non facile crediderim, aleæ denuò fuisse subiecturum aut ca-

put rerum non nisi nuperrime sibi subiectarum cum militiæ flore relicturum, nisi facillimæ victoriæ spes illexisset. Verùm, vbi Hiberniæ res tam intestinâ, ac pertinaci diuisione, quàm postremâ, ac probrosa hac clade plurimum contritas perspexit, tempus & occasionem adesse ratus, quæ celebrata illa verba VENI, VIDI, VICI, cæteris suis titulis addenda monerent, non amplius de suscipienda in Hiberniam expeditione deliberauit. Vsus igitur classe circiter centum quadraginta nauium aliisque omnibus necessariis quæ abundantissimè ad manum erant, mense Augusto postremo an. 1649. traiicit in Hiberniam, inque Dublinienſem portum ipse primò, mox Aërtonus socer eius assurgit, transfusisque in miserrimum regnum (vt pridem à sapientibus prædictum fuerat) catafractorum equitum millibus quatuor, nec non veterani peditis tot iam victoriis firmati, millibus octo, quæ consecutæ sunt deinceps desolationes, vastitates, ac sacrilegia commisit.

Quis talia fando

Temperet à lacrymis?)

CAPVT XXI.

Cromvvello cum victore exercitu Hiberniam ingresso nequicquam ad concordiam, & armorum coniunctionem ab Ormonio sollicitatur Eugenius. Quo factum est vt Vadipontanam vrbem valido præsidio munitam cum ingenti præsidiariorum strage Cromvvellus expugnarit. Tandem tamen Eugenius, qui hactenus ab Anglis Comitialibus pacis spe lactatus fuerat, vbi se illudi perspexit, ad concordiam serò rediit 22. oct. an. 1649.

CROMVVELLVS Dublinium ingressus oratione habitâ ad Ionem vrbis præfectum, copiasque præsidiarias hactenus ipsius imperio parentes, docet se ab Angliæ Comitiis cum titulo generalis regni præfecti in Hiberniam missum præsidio bonis, præfractis, ac Comitiorum authoritati rebellibus terrori, ac supplicio adesse: non arma, non equos, non vestes, non commeatum, non pecunias, demùm non aliud quidpiam, quod ad rem Comitiorum promouendam quoquo modo facere possit, fidelibus, strenuisque ducibus, ac militibus defuturum: id se certò affir-

mare, ac fideliter spondere Ipsi applausum ab omnibus; mox editâ, & vulgatâ declaratione, quotquot contra statutum Comitiorum Anglia regimen starent in armis, ad respiscentiam, & voluntariam subiectionem inuitat: quod si fecerint, impunitatem, & clientelam Comitiorum nomine promittit; sin minùs, ferrum, flammas, extrema omnia comminatur. Non de fuerunt Catholici, proh pudor! maximè paci & Ormonio hactenus aduersarij, qui hisce Cromvvelli legibus se se subderent. Ormonius ex aduerso editâ aliâ declaratione inconcussam fidem in legitimum Regem indigenis commendat; quin additis quibusdam pœnarum minis omnes in officio continere molitur.

Intelligebat vir prudens, quod sicut Cromvvellus non fuisset ausus in Hiberniam venire nisi in se diuisam, ac contra se armatam nouisset; ita nec eum diutius in eâ subsistere, multò minùs illam subiugare posse, nisi aut ipsa pernicioſissimâ in diuisione perseueraret, aut plures ex indigenis ad hostem vltrò deficerent, aut demum commisso prælio penes eum victoria maneret. Quod igitur in tempus fieri potuit, præstitit. Per declarationem, quantum valuit, contra defectionem omnium corda communiuit. Pugnam cum Cromvvelli numeroso simul, ac victorioso, ac multùm

multùm equitatu pollente exercitu, cautè declinauit, vicinasque Dublinio vrbes, ac præserttim vadipontum validis præsidijs muniuit. Denique nullo prætermisso conatu Eugenium ad concordiam, & armorum coniunctionē contrà infestissimum, ac potentissimum religionis, ac Regis, ac patriæ hostem pertrahere tentauit.

Et certè, si vel tum tandem Eugenius Regi, & patriæ accedere voluisset, egregiumque ac numerosum peditem, qui nutum manebat, eius cum equestribus copijs Proregi parentibus coniungere, periisset in obsidione Vadipontanâ, vt fore sperauerat Prorex, Cromvvelli exercitus, & ita saluti patriæ compendio tam facili consultum fuisset. Siquidem coniecerat in vrbem, quam mox obsiddendam non dubitabat Ormonius, duo lectissimorum peditum millia sub tribunis Vvaringo, ac Duvallio ambobus Hibernis Catholicis, ac quingentos equites, quibus omnibus præfecerat Arturum Asthonum equitem auratum, Anglum quidem illum, sed Catholicum, militarique gloriâ, etiam apud exteras nationes insignem: potuissetque, si consensisset Eugenius, propius accedere, & vel hostem vrbi circumfusum fœliciter inuadere, vel nouas subinde in vrbem vires pro repellendis eius assultibus submittere: ac vel sic deuitato pu-

gnæ discrimine tutò eum debellare.

Sed Eugenius pacem, quam per Munckium ab Angliæ Comitiis petiuerat, obtenturum se nondum desperauerat; hoc præsertim tempore, quo suam ipsis operam, provt inclinaret, aut salutarem, aut exitiosam fore peruidebat. Sunt qui & credant datas ipsi à Cromvvello literas, quibus & pecuniæ vim, & pacis quas vellet, leges propediem ad ipsum mittendas promiserit. Nec desunt etiam, qui affirment pecunias reuerà datas. Primum quidem crediderim, alterum non item: neutrum tamen affirmauerim. Vt vt sit, certum est Eugenium spe pacis à Comitiis obtinendæ illusum non potuisse tum ad concordiam induci. Quò factum, vt Cromvvellus Vadipontum duodecimo obsidionis die deiectâ prius per maiora tormenta murorum, ac turrium eius magnâ parte, renouato, iterum ac tertio assultu, cæsisque Asthono, Vvaringo, Duallio, aliisque pluribus viris strenuissimis, bonorumque omnium linguis, & calamis æternùm celebrandis, nec non vniuersis Catholicis præsidiariis militibus, & ciuibus ad quatuor fere millia miserum in modum trucidatis, in suam potestatem redegerit.

Quodque miserius est, ac magis dolendum, non deerant ex fauentibus Eu-

genio, qui tantam Catholicorum, optimorumque virorum stragem, quòd Eugenij partii profuturam crederent, cum ingenti gaudio acciperẽt; sperabant eni m pinguiores, (vt ipsorum voce vtar) à Cromvvello, ac Comitiis per Eugenium obtentum iri pacis conditiones, quàm quas iam concesserat Regis nomine Ormonius. Ita, quod mirere, Alithopile, tum temporis factum, vt homines, nomine saltem, & externâ professione Catholici, in Cromvvellum Puritanum, alienigenam & teterrimum Regis sui parricidam, quam in Ormonium temperatum quidem, vt vocant, protestantem, sed ciuem, ac in perduellia Comitia, quàm in legitimum Regem proniores essent? is nimirum schismatis religionis specie velati, ambitionis ac auaritiæ quorumdam priuatorum tam clericorum, quam regularium genuinus fructus!

At Eugenius ipse tandem aliquandò sapere incœpit: pridem enim inaudierat tantùm abesse, vt pacis conditiones à se per Munckium petitas, ac tandiu per Crellium ac toties promissas, Anglicana Comitia concedendas duxerint, vt potius quidquid cum eo egerat Munckius, peculiari, & expresso decreto rescinderint, parumque abfuerit, quin in ipsum Munckium ob eiusce modi commercia cum

Eugenio habita grauiter animaduerterint hæc inquam pridem Eugenio patefacta fuerant, nec tamen senilem, ac obstinatum animum à proposito adhærendi Comitiis dimouere potuerunt, vsquequò Cromvvellus captâ, vt diximus, vadipontanâ vrbe in literis, quas eâ de re ad Comitia dedit, inter cætera, quò maiorem ob suum illud facinus gloriam meritus videretur, Eugenium iam priùs cum Ormonio conciliatum, coniunctumque mēdaciter scripsit. Tum enim tandem intellexit homo miserrimus sibi tam à suis, Crellio nimirum, aliisque apud Comitia instrumentis imponi, quàm à Cooto, Munckio, ac Cromvvello Comitialium in Hibernia, partium ducibus manifestè illud, cum iam demum planum esset, ijs nihil aliud in votis hactenus fuisse, quàm ipsum à ciuibus suis per discordiam auulsum, ita obtinendæ quam cupiebat pacis expectatione distinere, donec confectis primùm illis, ipsi quoque ineuitabile exitium afferrent.

Itaque iam seriò! vtinam non tam serò, de concordiâ cœptat cogitare, missisque qui de eius consilio Ormonium monerent, pax inter ipsum legatosque ab eò missos sexdecim articulis expressa concluditur duodecimo Octobris anno 1649. stilo veteri.

CAPVT XXII.

Eugenia pacis articuli demonstrant, Eugenianos falsum [illegible] Religionis discordiæ sua prætendisse. Putidum eorum mendacium qui iactare: ausi sunt Eugenium (qui statim à concluſa pace mortem obiit) ea lege pacem iniisse, vt Ormonius Vicaria se regni præfectura abdicaret, eamque in Eugenium transferret.

PRorsò conuentionis illius, seu vt vulgo loquuntur, articulorum, titulum ad verbum latinitate donatum, visum huc inserere, vt intelligatur per quos vtrinque transigẽtes decisa res fuerit: quamque religionis, (cuius zelo discordasse hactenus à cæteris ciuibus prætenditur) curam Eugenius habuerit, etiam per huius priuatæ pacis leges, innotescat. Sic autem habet titulus.

Articuli concordiæ, de quibus conuentum est, quique concluſi sunt per, & inter Nicolaum Plunckettum equitem auratum, & Richardum Barneuallum, equi-

tem Baronnetum à Domino Præfecto Generali Hiberniæ potestate instructos, ad finem tractandi, & concludendi cum Generali Eugenio O Neillio, eique adhærentibus ex vnâ parte, & Reuerendissimum in Christo Dominum Episcopum Clogherensem, ac Tirlaghum O Boylum in comitatu Dunnegallensi equitem, ex altera parte, ab eodem Generali O Neillio eiusque parte authoritatem habentes sub Data 12. *Octobris anni* 1649.

Stilo veteri.

Rudis hæc, inquies Alithophile, & ingrata versio est: fateor, sed sincera, sed ad verbum, vt promisi: eam porro sic dare consultius existimaui, quàm quidquam in ea polire, gnarus non deesse falsos fratres, qui, si possint, vel in verbulo interpretis fidem carpant. Porrò vide legatum ab Ormonio pro hac pace cum Eugenio concludendâ, illum ipsum Nicolaum Plunckettum, virum insigniter catholicum qui etiam eum Fernensi superiori anno ad suam Sanctitatem legatus fuerat, à quâ & Equitis Aurati titulo honorari me-

ruit; nec alium ab Eugenio legationis suæ principem assignatum quam Clogherensem Episcopum Reuerendissimi Nuntij, & ipsius Eugenii vinculum antehac indissolubile: Eumque, ita in hanc pacem consensisse, vt censurarum, quarum anteà diligens promotor (ni fortè primarius author) ac defensor fuerat, nullam habuerit rationem: quandoquidem nullâ factâ mentione absolutionis earum obtentæ, aut obtinendæ concordiam cum ijs, & amicitiam redintegrat, quos prius vt abstentos, & à fidelium communione iure merito præcisos, ac Satanæ traditos auersabatur, & fugiebat. Sed fortè vicariâ Reuerendissimi potestate ad id acceptâ, etiam non petentibus, nihilque tale cogitantibus absolutionem primitùs impertiebat? alioqui enim quis credat virum tam religiosum cum hominibus censuris tam solemniter innodatis, nec crimen agnoscentibus, nec conciliationem flagitantibus voluisse communicare? sed hæc obiter, vt vel hinc appareat Clogherensem, vt & Eugenium, nunquam aliud in censuris spectasse, nunquam aliud ex earum vsu, quàm priuatum commodum desiderasse, quod ipsum etiam euidentissimè ex eo demonstratur, quod vnicus è sexdecim huius suæ pacis articulis, qui religionis mentionem facit, non aliud

in eius fauorem vrget, qui elicit quàm vt Eugenianæ partis Clerus, prioris pacis cum Comitiis conclusæ, quod ad Religionem spectaret, beneficio gaudeat; sed & hîc quoque mihi vitanda est obtrectantium fratrum criminatio, ipseque, vt iacet, etsi non parum intricatus reddendus est ad verbum articulus.

Primus Eugenianæ pacis articulus.

In primis conuentum, & conclusum est, per, & inter dictas partes, dictique Nicolaus Plunckettus, & Richardus Barneuallus equites aurati consentiunt, ac inse suscipiunt fore vt Episcopi, aliique quilibet de Catholico Clero, ac reliqui omnes Catholici, qui dicto Generali O Neillio, eiusque parti adhæserunt beneficio vltimorum pacis articulorum inter dictum Regiæ Majestatis Dominum Vicarium Generalem, & vltima generalia fœderatorum huius regni Catholica cõmitia conclusorũ, quantum ad liberum Catholicæ Religionis exercitium, Ecclesias, ac eccesiastica prædia, nec non ecclesiasticam iurisdictionem spectat, eadem amplitudine, ac libertate qua iisdem gaudent, quilibet alii Catholici huius regni clerici, aut laici, respectiuè gaudeant, ac fruantur, rerumque omnium ac singularum quæ in dictis articulis memorantur tam plene, quam ibidem iliæ recensentur, harum pactionum vigore potiantur.

Insuper

Insuper etiam concessum, & conclusum est, dictique Nicolaus Plunckettus, & Richardus Barneuallus equites aurati, consentiunt, ac fideliter promittunt fore vt illi omnes, & singuli respectiuè continuentur, ac conseruentur in quieta, & pacata dictorum omnium, & singulorum possessione tam amplè, tamque largiter, ac si de dictis pacis articulis, modo superiùs dicto concluſis, nunc primum, & hoc ipso temporis momento, priuato eorum nomine conuentum esset: { ea duntaxat lege, vt dictus Generalis O Neillius, ac Pars eius se se authoritati Regiæ majestatis in hoc regno submittant } Promittunt insuper quod omnes Catholici Regiæ Maiestatis in hoc regno subiecti in distributione Ecclesiarum, bonorumque ecclesiasticorum, quæ in quauis huius regni parte inpræsentiarum ab hostibus possidentur, aut post-hac possidebuntur, quando, & quoties ea à maligna parte recuperari contigerit, congruam portionem sortientur.

Superuacaneum esset hîc te monere, Alithophile, si solo religionis studio à cæteris ciuibus primò auulsus fuisset Eugenius, non debuisse illum iisdem legibus, quibus illi eâ in re tum sibi pro tempore satisfactum senserunt, ad conciliationem demum redire; etenim, si fortè inutas illas tunc in conscientia fuisse compertum fuit, ne nunc quidem admittendæ fuerunt. Sin autem in tempus sufficiebant, adeó-

que nihil reuerâ Catholicæ fidei, aut religioni aduersabantur, quin imò vtrique, propter allatas iam sæpiùs rationes, non salutares modò, sed & necessariæ prorsus tùm saltem erant; obuium est procul dubio non potuisse Reuerendissimum Nuntium eo colore illum à cæteris ciuibus tam violenter abstrahere, & ad sæpiendum tam impiè in ipsius patriæ viscera sub falsa religionis specie incitare: constat etiam non potuisse Eugenium, cui non minùs Religionis Catholicæ, magis autem Hiberniæ salus curæ esse debebat, Reuerendissimo Nuntio etiam suadenti, etiam iubere præsumenti, sine iustâ Dei & hominum offensione, & irâ, eâ in re parere.

Sed iam sæpius, & fortè ad nauseâ, ostensum est, nihil minùs curæ fuisse Eugenio, & Clogherensi quàm Religionis profectum, aut saltem non fuisse eam votorum summam (nec enim negauerim ipsos Catholicæ, quam profitentur, Religioni impensiùs, quàm protestanticæ, vt loquuntur, fauere) sed eos dixerim simulato inprimis promouendæ Catholicæ Religionis studio, alia omnia spectasse, nec id conceptis verbis affimare dubitauerim quod & allata hactenus euidenter ostendunt, & plura, quæ addi possent, vel ipsis, si opus esset, cæcis demonstrarent. Cæterum huius partium concordiæ nuntium Rinucciniani

(quos ab Eugenianis deinceps discernere ipsa cogit necessitas, quando his cum cæteris popularibus consentientibus, illi semper dissentiunt) primò confictum ad conciliandam Reuerendissimo Nuntio inuidiam, tam domi, quàm foris clamabant: mox ipsius veritatis manifestatione per coniunctionem virium factâ, ægrè conuicti, alia excogitant effugia, ridicula quidem illa; sed quæ nihilominus homines figmentis, ac mendacijs assueti, ac propemodùm enutriti, non solùm apud vulgares aures, sed & apud ipsos exterarum nationum, ad quos fortè accessus ipsis est, primores, ipsos inquam Eminentissimos S. R. E. Cardinales iactare non erubuerunt. Verum quidem esse Eugenium charitate patriæ, cæteroqui statim perituræ, motum, ad armorum cum cæteris popularibus coniunctionem consensisse, id tamen eâ lege conclusum esse, vt Ormonius vicariâ, quâ instructus erat Regis potestate, summoque exercituum moderamine se abdicaret, & in Eugenium transferret: quod & reipsa factum, & Eugenium Regiminis clauum tenere confidenter asseuerabant.

Quibus reuincendis satis est te hîc obiter monuisse, Alithophile, Eugenium paulò post pacem hanc conclusam, extremum diem obiisse, quem illi mor-

tuum, ac pridem sepultum, si quando credituri sunt (necdùm enim certò credunt, fortè ne citò credentes in politicam quam præ se ferunt, prudentiam peccare videantur) tam præcipitem eius ac immaturum votis suis exitum diuinæ vindictæ ascribendum vulgabunt, quòd cum periuris, ac excommunicatis (ita enim de ciuibus Catholicis, virisque Religiosissimis loqui, & scribere amant) pacem, quam nunquam violare debuerat, tandem redintegrauerit. Nec deerunt haud dubiè illorum alij, qui de hac fallaci persuasione deiecti, ne pudendi mendacij conuincantur, asseuerabunt pacem quidem eâ lege inter Ormonium, & Eugenium fuisse initam, vt Ormonius omnium exercituum ducatum Eugenio cederet, & ipse domi sedens ciuilibus duntaxat muniis vacaret, sed consecuto paulò post factam pacem Eugenii morbo, ac mox ipsâ eius morte, Ormonium eâ tradendi generalissimi, vt vocant, ducatûs conditione liberatum. Quorum nos vanitati secundum hunc Eugenianæ pacis articulum, quo se non aliûs quidem quam Ormonii, ipsius tamen imperio pariturum paciscitur Eugenius, opponere satis habuimus.

SECVNDVS EVGENIANÆ PACIS ARTICVLVS AD VERBVM LATINITATE DONATVS.

2. *Dicta partes consenserunt, atque concluserunt, prædictique Nicolaus Pluncketus, & Richardus Barneuallus equites aurati consentiunt, concludunt, ac spondent fore vt dictus Generalis O Neillius præficiatur sex peditum millibus sub tribunis octo, ac reliquo inferiorum ductorũ numero tot legionibus inesse solito, ac octingentis equitibus sub duobus tribunis, altisque inferioribus ductoribus tot equestribus legionibus messe consuetis. Quæ quidem equestres ac pedestres copiæ stabiliendæ sunt nomine Prouinciæ Vltoniæ sub Imperio dicti Generalis O Neillii, ac sic, vsquequo regnum hoc à communi hoste liberatum fuerit, continuandæ, eâ lege vt dictus Generalis O Neillius, prædictaque vires Regiæ Maiestatis Præfecto Generali, aliúve vni aut pluribus supremi Regni ministris pro tempore existentibus solis, & immediatè subiiciantur, & pareant, &c.*

Reliquis huius pacis articulis recensendis, vt pote priuatum Eugenij suorumque commodum spectantibus, breuitatis causâ supersedendum esse duxi, vt ante finem huius synopsis de Cromvvelli in Hiberniâ progressibus, necnon de obstinatis ac per-

uersis Rinuccinianorum ausibus tam hîc quam alibi pauca commemorem.

CAPVT XXIII.

Cromvvellus multas vrbes capit, alias proditione, alias vi. Quantum res eius promouerint Nuntij assecla, dum Ormonium iniquissima criminatione proditionis insimulantes, fidem ipsi eiusque Assessoribus Catholicis apud populum detrahunt. Cromvvellus à Dunkanano primùm, mox à Vvaterfordia repulsus ad quatuor maritimas vrbes Anglorum, & Scotorum perfidia sibi proditas se recipit. Hinc Inchiquynus proditionis accusatus, sed immeritò, vt videtur.

CROMVVELLVS Vadipontanâ vrbe, vt diximus, vi captâ, missisque in Septentrionem ad Cootum (à quo iam discessisse Eugenium nouerat) sub Venablo duce auxiliaribus copiis Dublinium regreditur, vbi paucis diebus ad curanda corpora militibus datis, mox impositis maioribus tormentis, commeatu, aliisque grauioribus impedimentis validæ ac numerosæ, quam ad manum habebat, classi, ipse cum expedito exercitu terrestri itinere, ac

compendiariâ via Vvexfordiam petit, quam quidem ciuitatem maritimam, opulentam, portuque commodam perfidia cuiusdam è ducibus sibi traditam præsidiario milite, ac vniuersis propè ciuibus trucidatis diripit. Mox Rossipontum oppidum quindecim illinc milliaribus distans in Barrouuii fluminis ripa situm, negatâ conscientiæ libertate, deditione capit. Ptolemæo Birgus dicitur.

Præstita hæc à Cromvvello priusquâ Eugenianus miles sub Ferallo Sub-præfecto Generali iũgeretur Ormonio. Etenim certissimum est Proregem non priùs potuisse sufficientes vires Cromvvello tot victoriis inflato, totque lectissimorum tàm equitum, quàm peditum millibus stipato, hactenus opponere. Quod autem potuit ciuitatibus nulla artis industria, aut naturæ subsidio munitis, de milite copioso satis tempestiuè prouidit. Sed cursum victoriarum hostis, nihil adhuc sistere valebat, quem & magna auri vis, qua ducum nonnullos ac ciuium plures corrupisse comperitur, incitabat, & Rinucciniano-rum factio intestina Catholicorum dissidia semper & vbique fouentium plurimùm promouebat. Etenim illi omnia Proregis acta, & consilia quãtumlibet sincera, quantumlibet prouida, fœdæ proditioni adscribentes, & nouum delectum impediebant, & conscriptum iam militem

proditionem identidem ingeminando, à subeundis impigrè & alacriter discriminibus, & ipsos demùm ciues à tribuendis pro Religionis & regni incolumitate necessariis, quasi infusâ in omnium animos publicâ quadam consternatione ac diffidentiâ auertebant. Et sanè tanta erat, & etiamnunc est priuatorum quorumdam regularium, ac nonnullorum aliorum de clero, tam domi, quàm foris cæcitas, morumque peruicax deprauatio, vt omnia pessum ire, ac ipsam etiam Patriam, & Religionem prorsus exscindi, quam Ormonio auspice vtramque seruari malint. Quo iure, aut potius quanta id iniuriâ faciant, obiter in Paulum dicetur.

Cæterum quantum hominum illorum de Ormonii proditione commenta, non calumniosa modò, verùm etiàm rationi ipsi dissentanea sint, nemo sanus non videat. Quasi verò non pluris interfit Ormonii, viri in Hibernia nobilissimæ, amplissimæque familiæ principis, summæque fortunæ, incolumitas Hiberniæ, quam nonnullorum regularium, aliorumque infimæ sortis hominum, qui ibi quod perdant, nihil omnino, ne parentes quidem, aut alicuius notæ necessarios habent! (tales enim sunt, ac semper fuerunt omnes penè nostri turbines) quasi Ormonius in perduellia Comitia, qui nuper Regem suum,

ac dominum destabili crimine necarunt; qui nouum Regem ad necem similiter quærunt, qui ipsum Ormonium priùs tam turpiter deceptum, ni tempestiuâ ex Angliâ fugâ sibi consuluisset, pariter occidissent, propensior esset, quàm fratres quidam, qui & de Cromvvello tanquam de generosissimo patriæ suæ à tyrannicâ seruitute liberatore, vocibus magnificis, etiam in ipsâ vrbe, & alibi passim loqui non erubescunt; de legitimis verò principibus quos non nisi cum summâ (secundùm Deum) reuerentiâ nominare deberent, turpissima quæque sacrilegâ temeritate audent eructare! quorum quidam Buccananum Scotigenam scriptorem hæreticum de Regum potestate, debitaque illis, à subditis subiectione minus Christianè loquentem, Euangelicis, & Apostolicis, in hac parte, literis præferunt, quorumque ego ipse nonnullos quærentes audiui quid sibi cum Rege, qui quæ religionis sunt, (per hæc ecclesiastica prædia intelligentes) minus indulgeat. Cur non Comitialibus Anglis, si religionis libertatem, aliaque eò spectantia parati sunt concedere, potius adhærerent?

Certè fidem superat Ormonium (vt vt supponitur, officij in Regem, charitatis in patriam, ac pietatis in parentes prorsus immemor) qui in Hiberniâ quidem va-

stissimum patrimonium ; alibi autem gentium nihil omnino temporalium bonorum possidet, velle omnia Cromvvello tradere, a quo non aliud, quàm æternum dedecus, miserum exilium, aut fortasse mortem ipsam, tam insignis perfidiæ ac infamis proditionis præmium esset consecuturus. Quin multò similius est vero quosdam clericos, aliosque fortunis euersos homines (quibus quippè facilius est ad exteras se nationes, vbi priuatim vtcumque vitâ sustentent, recipere) qui maximis quibusque discriminibus, rei suæ augendæ studio iam sæpius exposuerunt, nunc quoque data occasione ad eãdem prodendam paratos esse ; quam tantum virum, tam probatâ in Principem fide, tantâ in bonos omnes mansuetudine, beneuolentiâ, liberalitate, aliisque humanis virtutibus insignem, collocatam in se à Rege, ac patria spem frustrare, seque ipsum, sua omnia, ac suos, non quibuslibet, sed perfidiosis & sacrilegis hostibus tam turpiter commitere velle. Denique nullam, vt opinor, veritatis speciem habet, Cromvvellum Ormonii, si suis partibus faueret, caput quatuor sterlinarum millibus (quod nuper fecit) præfectura arcis Kilkennensis, ac ducatu legionis equitum Tittleo ipsius Ormonii prætorianæ turmæ vexillifero licitaturum fuisse. Id tamen citra

omnem dubitationem ipsius Tittlai accusati impigra totius machinationis confessio, & consecutum inde supplicium verum esse demonstrat. Sed in confutādis eiusce-modi calumniis vix operæ pretium fuerit diutius immorari; nec enim, etiam in defendendis regni primoribus, decorum esse crediderim pudori viri boni pluribus cum ijs hominibus altercari, quos cæca libidine abreptos nec ratio vincere, nec patens veritas convincere, nec patriæ amor ad sanè sapiendum emollire hactenus potuerunt. Sufficiat te semel docere, Alithophile, nihil omnino eos, quò omnem Ormonio fidem, & authoritatem apud populum nimis credulum detrahant, intentatum relinquere; ac sic eos laceratæ à se patriæ, quæ vel iam tandem ligare deberent vulnera, magis in dies, ac magis diducere; quò factum vt communis hostis stupendos; tam breui tempore progressus, etiam in eius, quam illi in omnibus præ se ferunt, Religionis detrimentum fecerit, ac etiam nunc faciat!

Et sanè nisi post captas Vvexfordiam, ac Rossipótum oppida Thomas Rochaus vir nobilis, ac strenuus Dunckanani Præfectus suam Deum, Regem, ac patriam fide, integritate, animo, demonstrasset Cromvvellum non tam expugnatoribus vrbium, quam Ducum ac ciuium corru-

ptoribus annumerandum esse, iam de Hibernia actum esset. Verùm cùm ad propugnaculum illud, quo Vvaterfordiensis amplissimus ac tutissimus totius regni portus clauditur, triumphantem exercitum sacrilegus iste eò securiùs admouisset, quòd memoratis iam vrbibus in suam potestatem redactis, nihil sibi à tergo metuebat, nauesque bellicas duodecim in ipsius ostij faucibus constituti fecisset, ac Rochæi præfecti fidem oblatâ primò auri magnâ vi labefactare, mox intentati exitij terrore dejicere conatus esset; vbi illum ad extrema quælibet, potiùs quàm fidem falleret, aut patriam proderet, perpetienda paratum intellexit, non solùm non est ausus propugnaculum iam nouis subsidiis ab Ormonio submissis munitum, Ducisque tam generosi fide & integritate custoditum aggredi, vt potius cùm erupturos in castra sua præsidiarios resciret, tantâ præcipitatione aufugerit, vt duo maiora tormenta, quibus ad littus positis portum infestare statuerat, Rochæo in prædam reliquerit. sicque Rossipontum re infectâ redierit; vbi strato nauali ponte Birgo fluuio, in Comitatum Kilkennienſem penetrauit, moxque captâ mirâ celeritate Petra Suirensi, (vna est è primarijs ipsius Ormonij domibus) ac Suiro ibi pariter trajecto, Vvaterfodiâ ad lævam relictâ, ad

quintum inde lapidem Oceanum versùs castra posuit, captoque transitu, vulgo *passage* (propugnaculum est Vvaterfordiensem portum ad meridiem è regione Dunkanani claudens) ad ipsius vrbis, quam sibi postridiè quorumdam ciuium proditione dedendam sperabat, conspectum regressus est.

Ita est, Alithophile, parum abfuit quin Vvaterfordia vrbs catholica, ab iisdem ciuibus, quibus applaudentibus paucis ante annis religionis specie pax religioni ac Nationi honorifica proscripta fuerat, Cromvvello Catholicæ religionis euersori perfidiosissimè proderetur. Ille enim capto Rossipõto statim misit qui primores Vvaterfordiensis ciuitatis ad defectionem sollicitarent; quo audito Ormonius Comitem de Castro-portus, vulgo Castel-hauen, virum Catholicum, ac de Hibernicâ natione benè meritum, Vvaterfodiam cum sufficienti præsidio mittit. Ciues, Comite ægrè in vrbem admisso, militem respuunt, seque incolumitati suæ satis prospecturos asserunt. Monet Comes Cromvvellum propediem affuturum, vrbemque, nisi valido præsidio muniatur, aut indefensam recepturum, aut necquicquam repugnantem primo assultu capturum. Sed frustra hæc canuntur vrbis primoribus, qui iam apud se vrbem dedere statuerant, vnde &

Comitem satis irreuerenter habitum post aliquot dies remittunt. Re auditâ Cromvvellus missâ per fecialem epistolâ adgratulatur ciuibus, qui præsidium excludendo, suæ & vrbis saluti consuluerint. Ipse interim, vt iam dictum est, ad vrbis vicinium cum toto exercitu aduentans, altero feciali misso, Prætorem ad vrbis deditionem sibi in crastinum faciendam interpellat, vel potiùs oblatis quibuslibet conditionibus blandè inuitat. Sed interim nocte incubiâ, Ormonius traiecto portu, cum Ferallo & quingentis peditibus ex Vltonienſi exercitu, magnâ bonorum omnium lætitiâ vrbem ingreditur, fecialemque Cromvvelli ad se adductum iubet quamprimùm ad Dominum regredi, ipsumque de suâ, ac Feralli præsentiâ certiorem facere. Consternatus hoc nuntio Cromvvellus eo maiori cum præcipitatione vrbis vicinium reliquit, quod Ormonium iam priùs Vvaterfordiâ profectum ad reliquum exercitum à tergo mox aggressurum maturâ fugâ præueniendum sensit.

Perisset haud dubiè totus Cromvvelli exercitus in illo Vvaterfordiensi angulo conclusus, quia, quò se reciperet non habebat, cum à ciuitate repulso Ormonius, quà venerat, regressum intercepisset, & simul iter in penitiora regni intercluſisset:

periiſſet, inquam, niſi malè callidus Inchiquynus Dungaruanum, Youghellam, Corcagiam, ac Kinſaliam maritimas vrbes, portuſque commodiſſimos infidis quibuſdam Anglis, Scotiſque Ducibus cuſtodiendas commiſiſſet, qui pauiò poſt quam Cromvvellus in Hiberniam venit, ad ipſum primùm occultâ, ac deinde patente perfidiâ defecerunt, eique, ne in his anguſtiis conſtitutus cum integro exercitu fame & ferro interiret, præſidio fuere. Etenim ad illas vrbes propè à tergo verſus meridiem ſitas ſe cum exercitu plurimùm fracto, tanquam ad ſalutis portum recepit, vbi & rerum omnium ad victum tam hominibus quam iumentis neceſſariarum abundantiâ affluit, & nouis iam ex Angliâ militum ſubſidiis auctus eſt, & plura in dies expectat.

Inchiquynum pleriſque etiam moderati viri, ſed minus haud dubiè prudentes rerum æſtimatores, proditionis inſimulant, qui vrbes iſtas perfidioſis hominibus cuſtodiendas concrediderit, ac toties de eorum molitionibus, inſidiiſque ab ipſis etiam ſibimet ſtructis, monitus, nec eos amouere, nec fidos indigenas in eorum locũ ſubſtituere voluerit. Ego verò nobilem illum virum ita ab eiuſcemodi deteſtandâ Regis ac patriæ, imò ſui ipſius proditione, immunem eſſe affirmauerim, vt eum

tamen in prudentiam non leuiter peccasse inficiari vix queam. Enimverò meminisse debuerat duces istos, ac milites, quibus vrbium illarum, ac munitionum custodiam præfecturamque tradiderat, priùs, & penè semper, se duce, Comitialium Angliæ ordinum stipendia meruisse? adeoque in eos iam rerum summa, quanquam nefario crimine, potitos, opibus ac viribus terra, marique præpotentes, propensiores fore homines mercenarios, quàm in Regem extorrem, inopem, ignotum. Quare ijs tanti momenti vrbes præsertim maritimas rebus adhuc turbatis minimè committendas fuisse obuium erat.

Verùm ne quid dissimulem, quibus suam, etiam in hac parte prudentiam simul & innocentiam tueatur, non desunt Inchiquyno rationes. Duces quidem illos ac militem ante-hac Comitiorum Angliæ stipendijs se moderatore militasse; sed eosdem secum ad regias partes, incunctanter, impigrè, alacriter transiisse, fidelemque sibi deinceps contra regios hostes operam impendisse, seque proindè sine insigni iniuria non potuisse de eorum fide dubitare. Demùm si vrbium illarum custodia Anglis & Scotis ablata Hibernis committeretur, id integrarum Angliæ, & Scotiæ nationum contumeliæ, & offensioni ab omnibus tributum iri, atque ita futurum

vt

vt bellum quod geritur, non pro Rege, ac patria contrà perduellia Comitia defendendis, sed pro vindicandis nationalibus Hibernorum simultatibus cum Anglis susceptum, ac promotum crederetur. Neque quidquã fore reliquũ quo criminatio hæc refelleretur, si omnes præfecturę, etiam quæ ab Anglis iamreipsa possidebantur, ipsis ereptæ, indigenis solis concreditæ fuissent; Quod quantum in Regiæ causæ detrimentum cessisset, nemo non videt, cùm planum sit inde futurum vt omnia eorum studia in promouendo Regis commodo aut languidiora, aut potius omnino nulla euaderent.

Cæterùm quod ipsum Baronem spectat, non potuisse illum vlla tradẽdarum Cromvvello vrbium consilia inire, missis aliis quibuslibet argumentis, vel hoc vnico satis confici videtur, quòd rei ipsius priuatæ neutiquam interesse possit tam nefarium facinus perpetrare: quippe qui à comitiis Anglicis ne sperare quidem tantum poterat opum, & honorum, quantum iam in Regiis partibus persistendo reipsa possidebat. Et verò quo se modo Comitialium tantopere sibi infensorum fidei turò committere posset, nedum apparuit, nec probabile est id eum feciſſe, quod etiam si impunè fieri potuisset, fieri tamen sine magno propriæ vtilitatis detrimento & infamiæ nota nequiuit.

CAPVT XXIV.

Præsens Hibernia status quàm calamitosus. Discordia inter Catholicos per nuntij assecias sota. Eorum nefaria vox èduobus hæreticis (Ormonio legitimi Regis præfecto, & Cromvuellio perduelli ac parricidâ) vter præualeat, vtri parendum, fusque deque habendum esse.

EX dictis hactenus satis, ni fallor, tibi liquet, Alithophile, præsentem Hiberniæ regni conditionem multis nominibus deteriorem esse, quàm antehàc vnquam fuerit. Prouincia enim Vltonia, quæ paulò ante, præter Coloniam Londinensem tota erat nostra, nunc præter vnum Carolo-montem tota est hostium. Dublinium regni caput, Vadipontum, Trimum, Vvexfordiam, Rossum, aliaque plurima oppida, ac propugnacula in Lageniâ prouinciâ tenent. In momonia præter Dungaruanum, Youghellam, Corcagiam, & Kinsaliam ciuitates maritimas rectâ penè lineâ deinceps versus regni meridiem sitas: habent etiam Bandipontum, Maloam, Tulleam, Lispoxum, Capercoïnum, Carrigiam, Fetardum,

Casseliam, & innumera propè minora castella per totos Comitatus Vvaterfordiensem, Limericensem Corcagiensem, Tipperariensem. Hibernæ apud nos validissima illa Comitialium classis quâ maria nostra infestissima habentur. Et quod omnium calamitosissimum est, nostris se recreat menstruis stipendiis, nostris se saginat Cromvvellus cibis, cum victoriosissimo illo quem alimus exercitu, mox in nostra viscera irrupturus, ac sæuiturus. Demùm ne quid nostris miseriis ad cumulum deesset, ac parum hæc omnia ad Hiberniæ ruinam sufficerent, pro concordiâ, quâ primis belli annis factum, vt res nostra breuî multum profecerit, creueritque, nunc inter nos regnat discordia à Rinuccinianis pridem sata, & ab iisdem etiam nũc studiosè ac iugiter sota, ac nutrita: quâ fit vt illi alios minus sibi consentientes, ac inprimis Proregem eiusque Assessores licet omnes ad vnum Catholicos proditorum religionis & patriæ hominumque Deo & sanctis eius inuisorum, loco habeant & ab aliis haberi velint. Hinc superiori biennio dissensiones primùm, & partes: mox apertæ rebelliones, & mutuæ clades. Hinc nunc quoque etiam post Eugenianorum conciliationem iugis diffidentiæ obloquia, ac manifestæ tam domi quàm foris calumniæ, quibus exagitatus

supremus regni Magistratus, & assidentes illi catholici proceres, omni propè apud imperitum vulgus obseruantiâ, & authoritate spoliati, vix quidquam pro rei publicæ salute præstare valent: Vbi Rinucciniani passim prædicare non verentur. QVANDO ALTERVTRI EDVOBVS HÆRETICIS SVCCVMBERE NECESSE EST (Ormonium intelligunt, & Cromvvellum) VTER PRAEVALEAT, VTRI PARENDVM: SVSQVE DEQVE FERENDVM ESSE. Ac si Christiani & Catholici hominis nihil interesset, indigenæ an alienigenæ, ciui, an hosti, patri, an paricidæ, legitimo principi, an iniquissimo tyranno, religionis ac functionis libertatem concedenti ac protegenti, an religionem omnem persequēti, & extirpanti: demum Dei ministro, an Diaboli instrumento pareat? Numquam profectò fuit hæc Catholicæ Ecclesiæ sententia: Nunquam hausta in Christi schola doctrina! quippe quæ nullâ sacræ paginæ, diuinorum Conciliorum, aut sanctorum doctorum authoritate suffulta est. Imo tantùm abest, *vt susque deque habeant* homines verè Catholici, tyrannicæ obediant, an legitimæ potestati, vt potius pro hac tutanda & illa repellenda, sint ac semper fuerint ad discrimina quæque subeunda parati juxta vetus ac celebre dictum illud. *In reos majestatis & publicos hostes omnis homo miles est.* Vere ca-

ertull
Appe-
getico
anto
oft
rincip.

tholicos dico, Apostolicos & Romanos, apud quos solos regia potestas verè exercetur, regia majestas verè suspicitur: cuius etsi quæ inter sectas mitiores sunt, imaginem aliquam retinent, reliquæ ac nominatim Caluiniana ne nomen quidem regium ferunt. Quin & probriloco catholicis obiectant fateri eos, & vltro agnoscere summam rerum in suis regnis penes Reges esse. IGNARVM ID PAPISTARVM COMMENTVM nuncupantes, *cum reuerà*, inquiunt illi, *& vrbes, & araria, & arma, & exercitus, & alia qualibet regni bona, propria sint reipublicæ, de quibus proinde Comitia, totam rempublicam repræsentantia disponere pro arbitrio etiam inuito Rege possunt.* Horum nefariorum hominum ducem, ac eiuscemodi sacrilegorum facinorum infame instrumentum esse Cromvvellum vniuersa Europa non sine horrore quidem & execratione conspicit, sed nec sine infamia impunitum tolerat. Et adhuc reperietur aliquis, imò plures passim occurrunt nomine Catholici, clerici, regulares, aliique, qui huic an legitimo Principi pareatur, parum interesse pronuntiare non reformidant: quin & (quod adhuc intolerabilius est) id ipsum Catholicæ Religionis obtentu, faciunt eoque vel solo nomine soli Catholici, soli Religiosi haberi volunt.

Comitia Anglica in quodã suo decreto an. 1642. apud Londinum edito.

At Ormonius alterius etiam communionis est ? credo, ac doleo, Deumque (quod & tu quoque sanctiùs faceres) rogo, vt errantem ouem in dominicam caulam tandem aliquando reducat, quod & sperare possumus : si plurimorum vota promoueantur, iugesque Religiosæ matris, ac Religiosarum sororum preces audiantur. Sed demus semper in errore mansurum, idque etiam iam tibi, si placet diuinitùs, prænunciatum, nihil tamen propterea suggeritur, quo fiat, vt non magis ipsi quàm Cromvvello parere teneatis : imò pluribus nominibus Cromvvello nullam, ipsi omnem ciuilem subiectionem debes. Certè vt præteritis hîc diuinis oraculis nulli non obuiis, & humanis legibus, quibus debita obseruantia, & obedientia legitimis principibus, qualescumque demùm illi sint, ducibusque eorum vices gerentibus, exhibenda præcipitur, vt inquam, his præteritis, ad id tantum, quo solo te moueri, vexari, angi, comedi, ac vri clamitas, Catholicæ Religionis studium attendamus, vel hoc saltem nomine Cromvvello repugnare, Ormonio obtemperare deberes, quod hic non solùm libertatem concesserit religiosarum functionum vbivis per vniuersum regnum palam & impunè exercendarum; sed & Ecclesiarum ipsarum, & Ecclesia-

sticorum prædiorum quietam possessionē Catholicis reliquerit; cùm ille non tantum basilicas ad se deficientibus non cōcedat, sed ne libertatem quidem sacri vel secretò in priuatis ædibus faciendi (id Comitiorum scito vetitum dictitans) ex pacto dare dignetur.

CAPVT XXV.

Factiosorum larua, se Apostolicæ Sedis authoritati adhærere, excutitur. Quantam illi summo Pontifici iniuriam faciant, dum persuadere moliuntur, nefariis Nuntij consiliis, quæ gentem maximè Catholicam in exitium præcipitarunt, illum fauere, nec Catholicorum procerum factam ad se appellationem, admittere voluisse.

SVfficerent hæc pro concordiæ violatoribus ad pacificam, & quietam subiectionem reducendis, si cum hominibus res esset, vel in ipsis Christianæ religionis elementis mediocriter eruditis. Sed quia cum ambitiosis & auaris agimus, qui obtentâ suis votis religionis larua, ad honores, & opes quanquam, cæco impetu, totis tamen viribus, totis conatibus aspirant: vereor ne tam his, quam quibuslibet aliis

quantumcumque validis veritatis ac iustitiæ momentis præfractè contemptis, in solitâ obstinatione fouendæ, quam seminarunt, discordiæ persistant. Enimverò prætendunt se Apostolicæ sedis authoritati adhærere, hanc se venerari etiam in ministro, ab hac se nolle ob vlla humana commoda, aut incommoda auelli, adeoque pacem, aut communionem cum iis habere non posse, quos huius oraculi sententiâ à fidelium consortio præcisos esse constat: manifestum autem esse tales habendos, quotquot centuras ab Illustrissimo Nuntio latas incurrerunt, quas & legitimas, & validas esse vel ex eo liquet, quòd interiectâ ab iis ad summum Pontificem appellationem, non solùm non admissam, non solùm non iudicatam iustam, aut necessariam, sed nec eum, qui à Catholicis vniuersi regni Comitiis Romam missus est ad Pontificis audientiam hactenus introductum, aut literas quas detulit, adhuc à suâ sanctitate lectas affirmant. Quod & subiectâ epistolâ (quam aiunt esse Secretarij Eminentissimorum Cardinalium Hibernicarum rerum congregationi à sua sanctitate præpositorum) demonstrari posse contendunt.

EPISTOLA

EPISTOLA D. ALBITII, AD DION. MASSARIVM DECANVM FIRMANVM, AC NVNCIATVRÆ HIBERNICÆ REVERENDISSIMI FIRMANI, ANTE HAC AVDITOREM GENERALEM.

ILLVSTRISSIME DOMINE,

Nec Pater Roa admissus hactenus fuit ad audientiam Sanctissimi D. nostri Innocentij P. X. nec appellatio Consiliariorum regni Hiberniæ, eorumque litera quæ ipse detulit, accepta. Imo ab Eminentissimis, DD. Cardinalibus negotiis Hibernicis à Sanctissimo præpositis, & à meæti eorumdem negotiorum Secretario, reiectæ fuerunt. Propterea nescio quo pacto P. Roa [illegible] audacter scripserit in Galliam, & Hiberniam ea quæ mihi significat D. V. Illustrissima. Nihil aliud ille à me audiuit, nisi quandoque verba satis aspera, quandoque leniora, & dulcia, si quid vlterius ipse profert, mendacia sunt, sicuti mendacissimum est libellum cui titulus: QVÆRES fuisse Romæ magno cum plausu & laude receptum. Cum vsque adhuc [illegible] in latinam versus sit linguam, nec ad manus Eminentissimorum DD. Cardinalium, neque ad meas peruenerit. Deus optimus maximus D. V. Illustrissimam ser-

uet. Datum in sancto Officio Die 4. Decembris 1649.

Obseruantissimus seruus verus
FRANCISCVS ALBITIVS.

Hæc illi suis omnibus diuisionis consiliis obtendunt: nec aliam hactenus partium à se in Regno & Ecclesia factarum rationem afferre valuerunt, quàm fictam in summum pontificem obseruantiam.

Sed & nos, etsi minori cum ostentatione, non minori tamen cum sinceritate atque veneratione legitimam Apostoli Petri successionem in Romano Pontifice suspicimus; hunc vniuersæ Christi militantis Ecclesiæ caput agnoscimus, liberè profitemur, & si res postulet, in eius veritatis fidem ipsum etiam sanguinem impigrè & incunctanter fundere parati sumus. At Nuntium Apostolicum quantumlibet extraordinarium, non Pontificem, sed Pontificis ministrum, in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, nec in perpetuum, sed ad tempus assumptum tenemus: vndè non omnia eius acta Pontificiâ authoritate fulta, aut eo, quo Pontificem colimus honore digna aut obseruanda censemus: adeóque eum & errare posse, & in ferendis illis de quibus agitur censuris, reipsâ plurimùm à veritatis, & æquitatis tramite aberrasse credimus.

Quod & diuinarum, & Ecclesiasticarum legum conspirantibus regulis ostendi posse contendimus : & iusto volumine iam factum esset, nisi Pontificis iudicium in causâ appellationis ad se factæ exspectare religiosius esse iudicaremus.

Verum meminisse deberent fratres illi, quos in Reuerendissimi Nuntij Consiliis nimium petuicaces, Rinuccinianos demũ nuncupare compulsi sumus, eum cui patrocinantur, non Legatum à latere, sed Nuntium solùm fuisse, cui proinde in populum illum, ad quem missus fuerat, de ipso iure communi nulla competebat iurisdictio. Non negamus quidem potuisse Innocentium X. summum & sanctissimum Pontificem, eiusmodi iurisdictionem Reuerendissimo Firmano committere : sed id esse factum non tenemur credere, quod & insolitum est, & ipsemet noluit, aut potius non valuit factum ostẽdere. Etenim cum Galuiæ censurarum obedientiam, ac induciarum proscriptionem violenter vrgeret rogatus à Reuerendissimo Ioanne Archiepiscopo Thuamensi, vt quâ authoritate, quâ potestate hæc faceret, declarare non grauaretur, non aliud, quàm *id se nolle*, respondit : *Ego*, inquit prudens Archiepiscopus, *nolo tibi obedire*, gnarus vtique illum, si quam talem haberet potestatem, rogante se,

loci scilicet ordinario, eam fuisse ostensurum.

Quæ autem addunt, nec admissam esse appellationem, nec audientiam adhuc obtinuisse P. Rouueum, nec Catholici regni Conuentûs literas à summo Pontifice acceptas esse, aut lectas: absit vt vera esse cordatus quisquam, aut bonus existimet, cum sine graui sanctæ Sedis iniuriâ credi non possint. Certè si Catholici Hiberni nullâ interiectâ appellatione, censuras contempsissent, aut appellatione quidem, non tamen ad Pontificem, sed ad generale Concilium (quod vtrumque aliàs ab aliis factum vidimus) interiectâ, conculcassent, credi posset Pontificem horum alterutro commotum, Hibernis meritò succensere, eorumque ad se legatum tanto tempore ad audientiam non admittere, ac literas non legere. At cùm in hac, de qua loquimur, appellatione omnia ritè &c ordinatè facta esse compertum sit (est enim adipsum summum Pontificem tanquam ad legitimum, supremum, & absolutissimum iudicem ab inferiore iudice partem enormiter grauante, interiecta appellatio) fieri non potest vt sua Sanctitas, nec eam admiserit, nec literas Conuêtus Catholici legere curauerit: quis enim mortalium vidit vnquam, aut audiuit superiorem iudicem appellationem ad se ab

inferioris sententia factam, prius etiam quam examinaret respuentem?

Epistola autem illa, quam aut ipsi falsi fratres circumferunt, aut per vniuersum Christianum orbem quoquò versum cum mira diligentia per alios sui similes mittunt, ac si Hibernicæ nationi honorificum esset, virum à se missum per tot menses Romæ hærentem, ne semel quidem ad sanctissimi Patris audientiam esse admissum; Epistola, inquam, illa, aut verus est illius, cui adscribitur, authoris partus, atque adeò ille summum Pontificem, à quo tantam iniuriam nationi tam antiquæ, tam catholicæ illatam publicat, grauiter offendit; aut, quod potius crediderim, non genuinus, sed suppositicius est ille foetus, ac proinde, præterquamquod contumeliosissimè in patriam peccauerint eius parentes, ac nutritij; hominem quoque illum, cui eum ausi sunt tribuere, enormiter eos offendisse manifestissimum est.

CAPVT XXVI.

Quod lis adhuc pendeat, pernicioſum id quidem Hiberniæ eſſe, ſed Nuntii artibus tribuendum, qui per amicos effecit ne ſe inaudito res diiudicaretur, cum interim moras in Gallia necteret. & iam Roma præſens nihil non molitur, vt lis maneat indeciſa. Quod quæſitis vnde cumque coloribus quidam ita fieri debere contendunt.

VErùm vtcumque res eaſe habet, lis adhuc pendet indeciſa: nec vero ſimile eſt, ſi tam obuia eſſet appellationis neceſſitas, & cauſa appellantium tam iuſta ac prætenditur; aliundè verò ſua Sanctitas appellationem admiſiſſet, eam tandiu manſuram fuiſſe indeciſam: niſi quis affirmare velit ſummum Chriſti Vicarium veritatem etiam cognitam in magnum Catholicæ Religionis detrimentum vltrò detinere captiuam?

Certum quidem eſt dilationem illam in manifeſtam Hiberniæ ruinam ceſſiſſe: ſi enim cum primum P. Rouueus 16. Ianuarij an. 1649. Romam venit Pontificiâ authoritate irritæ declaratæ fuiſſēt cēſuræ, & ſimul ſua Sāctitas præcepiſſet Eugenio,

vt eueſtigiò ad concordiam cum ciuibus rediret, huicque ille mandato obtemperaſſet: ſtaret haud dubiè & nunc plenâ tam in Eccleſiaſticis quam in politicis libertate frueretur Hibernia. Verum Reuerendiſſimus Nuntius per literas & amicos obtinuit, vt non decideretur cauſa ante aduentum PP. Ioſephi Theatini, & Feralli Capucini ſtatim à ſe mittendorum: nec enim æquum eſſe, vt ſe inaudito, ac indefenſo acta ſua reprobentur. Et illi quidem ſatis maturè pro tempeſtiuâ & ſalutari cauſæ deciſione in vrbem venerunt; at non defenſionem actorum Reuerendiſſimi Nuntij ſuſcipere, ſed vt expectaretur ipſe (quem mox affuturum aſſeuerabant) modis omnibus impetrare in mandatis habebant. Quod & conceſſum, ne damnaretur inauditus.

Ipſe tandem Reuerendiſſimus Nuntius, etſi in Galliam menſe Martio an. 1649. appulerit, Romam tamen non niſi circà octau. Nou. eiuſdem anni peruenit: & ſic abſque vllâ ſummi Pontificis, non tamen ſine graui Reuerendiſſimi Nuntij, & Hibernorum tam Romę quàm alibi eius partifauentium culpâ, nec ſine manifeſtâ, ac propè lethali Hiberniæ plagâ tandiu dilata eſt cauſæ illius deciſio. Argumentum eſt profectò deſperatæ cauſæ, cum qui lite agit litis deciſionem quantùm poteſt con-

quisitis vndecumque tergiuersandi coloribus subterfugit!

Enimuerò specioſa hactenus fuerit interiecta deciſioni appellationis, tanta tamque exitioſa Hiberniæ mora, ne videlicet Reuerendiſſimi Firmani inauditi in re tanti momenti acta reprobarentur? quid iam demum impedit quominùs inter partes præcisâ omni morâ iudicet ſua Sanctitas? iam pridèm enim Romam venit Reuerendiſſimus Dominus, ac præſens eſt, ſatiſque, ex quo peruenit, temporis effluxit pro viſendis amicis, iiſque de causâ inſtruendis, ac parandis quibuſcumque defenſionis præſidiis; nec enim vlla alia, quàm quæ modò adſunt, aliunde expectari poſſunt, iam maximè cùm Eugeniani, & Clogherenſis ipſius Eugenij tum adhuc viuentis imperio, diuerſis quidem, quod ad politica, ſed iiſdem quod ad Religionem ſpectat, quibus reliqui pridem Catholici, pactionibus cum Prorege conuenerint. Quid igitur amplius cauſæ deciſio differtur? quid finis litis moras moris ſubindè nectendo protelatur? ſi fruſtratoria (vt in aggrauatione loquuntur) & friuola eſt appellatio, quid non deciſionem eius ipſi vrgent, talemque reipsâ ſupremi iudicis ſententiâ quamprimùm pronuntiandam curant, qualem ſuis calculis eſſe prætendunt. Etenim penes ipſos

tota res est, cum & assessores Catholici crebris literis qualemcumque litis illius finem vrgeant, & Rouueus præsens sit, & nihil magis in votis habeat: cùm Rouueus, inquam, pauper, abiectus, peregrinus, &, vt secundum hominem cum hominibus agens, dicam, contemptibilis monachus, contra virum indigenam honorũ pluribus titulis illustrem, opibus, amicis, clientibus etiam Hibernis præpotẽtem solius causæ æquitate ac iudicis integritate fidens Procerũ Hiberniæ actor appareat. Nõ aduertunt nimirum homines cæterà oculatissimi momentum hoc de decisionis mora, quod paulò antè in appellantium detrimentum producere ipsis visum, in seipsos, penes quos solos est mora, retortum, nullam admittere responsionem. Si enim bona est Reuerendissimi Nuntij causa; si euidens, &, vt clamant, cuilibet vel mediocriter in id generis rebus versato obuia est eius iustitia, contrariæque iniquitas? si inquam ita res habet, Apostolorum successor, supremusque huius negotij iudex, præterquamquod cognitam veritatem captiuam detinet, suo etiã Ministro iniuriam facit, cuius famæ apud cordatos omnes, & bonos plurimùm laboranti subuenire tandiu distulit. Verum qui huc vsque tergiuersando per controuersiæ decisionem, quæstionis huius iustæ

solutioni interceſſerunt : iidem (vereor) ne poſthac ſoluatur, aut plenæ Hibernorum conciliationi, ac concordiæ prouideatur, cauillando efficient. Cum enim minimè eos lateat cenſuras illas, vbi æquitatis trutinâ perpenſæ fuerint, eiuſcemodi eſſe iudicandas, quibus & Religionis, & Nationis ruinam aſcribi neceſſe ſit: nullum non mouebunt lapidem, nihil non molientur, quo ab earum diſcuſſione prorſus abſtineatur: nam ſuperuacaneum eſſe dicent eiuſmodi inſtituere examen, quando Eugenianos cum reliquis popularibus conuenisſe conſtat. Quamobrem ſatius eſſe affirmabunt, & tutius rem, pro vt eſt, indeciſam in æternâ obliuione ſepelire, quam prætentam validitatem, ac iuſtitiam latarum cenſurarum ſummi Pontificis ſententiâ declarando, Hibernos inter ſe denuò committere. Erunt fortè & qui de iniquitate cenſurarum conuicti, aliam tamen ob cauſam ab earum improbatione ſuæ Sanctitati temperandum cenſebunt, ne ſcilicet nullo Hibernorum Catholicorum bono (quippe qui iam omnino concordes creduntur) Miniſtri ſui exiſtimationi plurimum noceat.

CAPVT XXVII.

Refelluntur, qui causam hanc minimè diiudicari necessum esse aiunt. Illa indiiudicata manere semper discordem Hiberniam. Falsa vbique iactare Nuntij assecla, & de Hibernis obloqui tanquam reuerà censurarum nodo constrictis. Hiberniæ Procerum famam iniquissime dilaceratam efflagitare, vt per Supremi iudicis sententiam à turpissimâ notâ liberetur.

SEd & hæc sententia plurimis grauissimisque obnoxia est incommodis. In primis enim discordem, qualis reipsâ tam foris est, quàm domi, relinquit Hiberniam. Etsi enim Eugeniani bellatores vicariæ Regis potestati se se plenè submiserunt: Regulares tamen, ac præ cæteris fratrum Minorum plurimi nihil solito minus vbique sæuientes clamant, ac vndecumque scribunt, censuras etiam accedente Pontificiâ approbatione valere, atque adeò miseros Hibernos earum adhuc vinculis innodatos non minus in summi Pontificis iniuriam, quàm nationis ignominiam ingeminant; & hæc quidem eò perniciosiùs circumferuntur, quod à

viris professione sanctis, iisque Romæ propè oraculum viuentibus tam confidenter vulgantur. Quorum vnus exempli gratiâ in suâ quâdam epistolâ 10. Decembris Româ ad amicum in Belgio scriptâ.

Illustrissimus inquit, *D. Nuntius Hiberniæ gloriosissimè hic receptus est à Sanctissimo D. nostro breui, nisi fallor, præmiandus; interim sua in Hiberniâ facta iustificata ita vt omnia rata habeantur cum aternis nostratum aduersantium confusione:* & in alia Epistolâ eodem die, eadêque manu exaratâ: *Noster in Hibernia Nuntius hic solemnissimè receptus fuit, & residet cum magno splendore suo, & gratia apud S. D. N. præmiandus, vt omnes clamant; citò citius: quæ opponebantur ei, inuenta sunt mendacia, & quæcumque fecit, laudantur: omnia enim ipse stabilit. Va miseris qui adhuc subsunt censuris, nec adhuc immineat spes refocillationis ipsis, nisi resipiscant.* Et alibi *P. Paulus King breui dicetur hic futurus noster Guardianus.* Et iterum. *Iam Reuerendissimus mandauit Commissario nostro Reuerendissimo* Marchant, *vt Caronum reuocaret, eius acta rescinderet, & prouinciam reliqueret, sicut antè fuit.* Hæc ille inter alia. Per Reuerendissimum de quo loquitur, P. Danielem à Dongo intelligit, Franciscanorum Vicarium Generalem, cuius mandato reuocandum ex Hiberniâ asserit Pa-

trem Redmondum Caronum virum bonum, prudentem, ac pacificum, quem eò pro reducendis ad officij, ac functionis suæ limites Franciscanis plerisque sui nimium oblitis, & in aliena præter omnem modum dilapsis superiori anno miserat P. *Marchand* eiusdem ordinis Commissarius Generalis. Vult autem Prouinciam relinqui, sicut anteà fuit, id est, irregularium quorumdam fratrum malis artibus laceratam, ac discerptam in partes: vnde constat ex his, aliisque id generis innumeris mendaciis nunquàm prouisum iri plenæ Hibernorum cõcordiæ, nisi priùs sanctitas in censurarum causâ suam aperuerit mentem, simulque eiuscemodi petulantibus ingeniis tàm domi, quàm foris futentibus perpetuum silentium, perfectamque obedientiam ac subjectionem in politicis rebus ciuili Magistratui exhibendam, sub strictâ pœnarum omnium interminatione præceperit.

Ne dicant igitur diuisionis authores, & fautores nihil opus esse, vt irritæ ac perniciosæ Pontificiâ sententiâ declarentur censuræ, quasi iam conuenerint inter se concordesque sint, ac in omnibus conspirantes Hibernorum animi: neque enim id verum est, neque esse potest, donec fratres votis, calamis, linguis, & plerumque corporibus vbique locorum non extra suæ

modò, sed & extra semetipsos adhuc magis vagantes, ac passim debacchantes tanquam errantes oues ad caulam reducantur, inque suum ordinem; in præpositorum suorum imperio, summi saltem Pastoris pædo redigantur, alioqui omnia denuò sunt turbis ac seditionibus mixturi, ipsumque Eugenianum militem & alios complures quæsitis nouis coloribus, à reliquis ciuibus auulsuri.

Deindè quæ censurarum decisionem dissuadet, sententia, nimis iniuriosa est Catholicis Hiberniæ Proceribus, quorum famæ tam indignè habitæ, tam ignominiosè ab initio traductæ, & in hunc vsque diem rabidis Rinuccinianorum morsibus vbique gentium laniatæ, æquissimum est vt Pontificiâ authoritate subueniatur. Neque enim fieri potest absque graui bonorum omnium scandalo, Christique, qui veritas est, offensâ, vt sententia adeo manifestè iniqua, postquam ab ea ad Romanum Pontificem appellatum est, opprimentibus laudi & honori, oppressis vero perpetuæ ignominiæ, ac dedecori vertatur: veritasque ibi nunc demùm conculcetur, vbi hactenus quando, & quoties tam in se ipsa, quàm in defensoribus suis agitata fuit, semper quæsiuit, semperque inuenit perfugium. Rinucciniani tamen Patroni sui acta omnia à sua Sanctitate ap-

probata fuisse per Christianum orbem diligentissimè spargunt, ciuesque suos tanquam excommunicatos, ac Satanæ iustè traditos non tam ex misericordiæ affectu, quam ex amaritudinis, ac fellis liuore MISEROS appellant, eisque imprecatorium, VAE, pœnali audaciâ dicunt: nec satis habent ipsum Reuerendissimum Dominum CITO CITIVS PRAEMIANDVM ingeminare, quod regnum post continuam centum annorum tempestatem ad libertatis, & salutis portum iam iam emersurum facto in Clero, & populo crudeli, ac nefario schismate, in nouarum miseriarum oceanum demerserit: ac ità Regicidę ad euertendam totā nationem, ac hæretico ad extirpandam religionem viā patefecerit: nisi etiam assęclas eius omnes, coniuratosque in patriæ suæ ruinam clientes, alios ad sacerdotia, alios ad decanatus, alios ad alia, quàm possunt maxima Hibernicæ Ecclesiæ munia promouendos curent: vt vel hinc appareat Reuerendissimum Dominum etiam nunc de rebus Hibernicis ad libitum disponere: censuraſque ab eo in tantum Regni, & Religionis damnum latas, nihil eius apud summum Pontificem fauori, nihil in tractādis negotiis nostris potestati detraxisse: vt appareat vnum Reuerendissimum Firmanum plus in augendis Hibernis Rinuc-

cinianis, quam vniuersum Hiberniæ regnum in iisdem deprimendis, ac coercendis, valere: adeòque ambitiosi omnes, ac auari Ecclesiastici cuiuscumque sint conditionis, ac professionis, abiectâ quam Deo, Regi & Patriæ debent, obedientiâ ac legitimâ subiectione, ad vnius Reuerendissimi Nuntij castra confugiant, ipsi adgregentur, sub eius signis militent, vtpote à quo optatum donatiuum vel inuitis, ac repugnantibus regni magnatibus consequantur: demum vt appareat nullam à suâ sanctitate habitam esse appellationis rationem: & verò, quod perniciosius est, Hibernos Catholicos, quos iam in mutuam cædem sceleratè animarunt, cum ipso etiam, si fieri posset, Petri successore visibili in terris Ecclesiæ capite committant: gnarum enim ipsis (si vel communem hominum sensum ambitionis, & auaritiæ æstu nondum omnino exuerunt) eiuscemodi subreptitias Ecclesiasticorum titulorum collationes, persecutoribus suis a suo persecutore factas, Hiberniæ Primores nequaquàm admissuros, ac sic nouarum simultatum occasiones quasi ex composito quæri.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Summi Pontificis maximè interesse vt iniquissima Nuntii sui acta quam primùm rescindat. Alioquin fieri non posse, quin apud malevolos eorum invidia etsi falso, verisimiliter tamen ipse laboret, in maximum Religionis Catholicæ scandalum, quæ subditis sub legitimis Principibus obedientiam semper enixè commendauit.

NImis etiam crassè Reuerendissimo Firmano patrocinari nituntur, qui iudicium de censuris à summo Pontifice non ferendum eo nomine sentiunt, quod si iustæ illæ declarentur, ac validæ, nouis diuisionum discriminibus Hibernos sint exposituræ: tutius igitur videri, si res indecisa relinquatur, ita enim non defuturos, qui propter rationes à proceribus allegari solitas, maximeque propter interiectam appellationem tutâ conscientiâ Hibernorum magnatum causæ patrocinentur, & quod caput est, modò lis perpetuum pendeat, probabile aut potiùs certum est omnes eisdem in factâ iam conciliatione adhæsuros: cum è contrario nemo eos defensurus sit, nemo eis obsecuturus, si Aposto-

licæ autoritate sententiæ iure, ac merito suo condemnati pronuncientur. Hoc enim effugium præterquam quod à solis Reuerendissimi Nuntij clientibus, & amicis, & quidem solo eius à iustâ condemnatione liberandi studio excogitatum est: summum etiam Pontificem perniciosissimarum censurarum authorem facit, & Pontificiam authoritatem, ac nomen omnibus non heterodoxis modò, sed & Orthodoxis Principibus suspectum, imò, si fieri possit, bonis omnibus odiosum reddit. Ecquis enim bonorum non ægrè ferat Romanum Pontificem, qui Hiberniam ad libertatem annitentem modis omnibus iuuare debebat, profano Ecclesiasticarum censurarum vsu pessum-dedisse? Quæ Respublicæ? qui Principes, Reges, aut Imperatores tantorum malorum authorem, aut fautorem non detestentur, aut quis ipsum Pontificem hunc esse inficietur, si eius, qui ea commisit, Ministri non solùm acta non reprobat, sed & ipsum, & suos CITO CITIVS PRAEMIANDOS ducit? Certè nos vt longè ab eâ opinione absumus, quâ Religionis hostes persuasum omnibus volunt Romanis Pontificibus in more positum esse spiritalis potestatis specie, omnia etiam temporalia, si possint, QVASI IN ORDINE AD SPIRITALIA sibi subiicere: ita

perſpicere non valemus, quid nobis pro calumniâ illâ ab Apoſtolicâ ſede repellendâ futurum ſit reliquum, ſi & appellationis cauſa, aut diu pendens, aut ſemper maneat indeciſa, & cenſurarum author, ac patroni eius, quam merentur, coërcitionis loco, præmia conſequantur

Scribent procul dubio complures, quibus hæc ætas abundat, literati tam Catholici, quàm hæretici homines Hibernicarũ rerum hiſtoriam, & quod verum eſt, vtrique narrabant, illi quidem cum dolore, & gemitu, iſti cum oblectatione & cachinno, inſolentem, ac irreligioſam cenſurarum publicationem in Nationis, & Religionis exitium ceſſiſſe: ſed & heterodoxi ſolito in Pontificem odio adijcient, eius auaritiam, & ambitionem (acta enim Nunrij ipſi aſcribent) partibus ſuis plurimùm profuiſſe, quibus quippe effectum ſit, vt regnum ſub Religionis prætextu vſurpare volens, Hibernorum alios occultis artibus ab omnibus pacis cum Regis ineundę conſilijs auerterit, alios cenſurarum metu in eandem ſententiam pertrahere fruſtra conatus, omnes inter ſe diuidere, diuiſoſque, ac mutuis armis vſque ad Cromvvelli aduentum inuicem digladiantes diſtinere maluerit, quàm concordiâ inter ſe, & cum Regiis initâ, abactiſque (quod haud operoſè tum quidem fieri poterat) Comitia

lium reliquiis sub Regis imperio, tam politicâ, quàm ecclesiasticâ libertate frui. Quæ quidem omnia etsi nos tanquàm falsissima, sedique Apostolicæ nimis iniuriosa (quantum ad ipsum Pontificem attinet) detestamur: tamen nisi ipsemet summus Pontifex censuras illas improbauerit, præter suam conscientiam, contra suum votum latas pronunciauerit, intempestiuas, iniquas, Nationi, ac Religioni perniciosas Apostolica sententia declarauerit: non equidem video, quo modo in hac re, aut huius ipsius, aut futurorum seculorum sapientibus de summi Pontificis integritate satisfiat, aut calumniæ in illum eo nomine congerendæ, validè satis ac neruosè refellantur.

At soli hæretici id dicent, quibus familiare est Romanis Pontificibus, quàm possunt magnificentissimè detrahere, obtrectare, maledicere: imò, inquam, dicent & Catholici, & verò iam dicunt plerique viri cæterà boni, non ausurum fuisse summi Pontificis Ministrum tantam in se prouinciam non solùm non iubente, sed & inscio, ac inconsulto Domino suo suscipere, aut res tantas animo tam obstinato miscere: id, inquam, dicunt plerique, ac præsertim omnes penè Europæ Principes, eorumque Ministri, qui satis mirari non possunt quantâ præsum-

ptione Reuerendissimus Nuntius subditos à Ciuilis Magistratus subiectione, & obsequio ecclesiasticarum censurarum interminatione subduxerit, obseruantque suam quoque rem in eiusmodi negotiis agi: & quod alicubi fit, alibi quoque (vbi idem ius esse prætenditur) datâ occasione, si non effici, tentari saltem posse.

Verum his prætetitis, demus solos hæreticos Pontificiam Dignitatem eo nomine virulentæ linguæ aculeis esse perstricturos? an non idipsum suæ sanctitati maximè, vbi fine veritatis, ac iustitiæ damno fieri potest, declinandum videtur? an non ne vel infideles offenderet Christus, quod non debebat, didrachma soluendum curauit? an non, quod Apostolus ad Timothæum de quolibet Episcopo scribens ait, *Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab ijs qui foris sunt* Romano præcæteris, vel eo sensu congruit, quo idem alibi exponit dicens, *vt is, qui ex aduerso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.* Certè quod ex Augustino desumptum ponitur in decreto. *Quisquis à criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam custodit, sibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est.* NOBIS ENIM EST NECESSARIA VITA NOSTRA, ALIIS FAMA NOSTRA, & alibi. *Propter nos conscientia nostra sufficit nobis:*

Math.1

1. Ad T
moth.

Ad T
tum. 2

Causa
q.3.ca.
sunt a
diēdi.d
sumptu
ex lib.
bono v
duitati
c. 22.

. 12. q. . cap. nolo de- iumptum i Augu- tino ser. de vita leticorũ.

propter vos fama nostra non pollui, sed pollère debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite; duæ res sunt conscientia, & fama; CONSCIENTIA NECESSARIA EST TIBI, FAMA PROXIMO TVO, *Qui fidens conscientiæ suæ,* NEGLIGIT FAMAM SVAM, CRVDELIS EST, & appositè Bernardus Pontificem summum alloquens. *Dracones* inquit, *me mones pascere, & scorpiones, nun oues? propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed* VERBO *non* FERRO. Hæc ille lib. 4. de consc. cap. 3. & post alibi citatis illis verbis, SAPIENTIBVS, ET INSIPIENTIBVS DEBITOR SVM. *Curandum tibi summopere* inquit, *& tota vigilantia considerandum quomodo & qui non sapiunt, sapiant, & qui sapiunt, non desipiant & qui desipuere, resipiscant. At nullum genus insipientiæ infidelitate, vt sic loquar, insipientius, ergo &* INFIDELIBVS DEBITOR *es, Iudæis Græcis, & Gentibus.* Lib. 3. de consc. cap 1. hoc, inquam, non minus, imò magis ad suam Sanctitatem, quam ad Catholicos Hiberniæ Magnates, quorum in hac causa famam laborare euidens est, spectare videtur, in hac præsertim prouinciâ ita à Ministro eius gestâ, vt nisi (quod æquissimum est) culpa in ipsum recidat, (cùm in Hibernos non possit) in eum cuius authoritate, & imperio regi debuerat, & reuera regi se ille iactabat, neces-

sariò refundenda videatur. Nos quidem Belingi narratione, & ratione legationis suæ à Fernensi, ac Plunketto reddita, de sinceriſſimis suæ Sanctitatis votis in toto hoc negotio satis persuasi sumus: non defuturos tamen alios, nec verò iam deesse scimus, qui, nisi sua Sanctitas censuras improbauerit, alia omnia sentient. Recolent enim illi Reuerendiſſimum Nuntium supplicasse Comitiis anni 1647. vt regnum præcedentibus suis molitionibus plurimùm inclinatum, in summi Pontificis fidem, ac clientelam conferretur: proximam hanc, ac compendiariam inuadendi regni viam inscio & inconsulto Pontifice minimè tentatam affirmabunt: addent in euidentiſſimum eius rei argumentum, non solùm illa Reuerendiſſimi Firmani acta non improbata, aut reſciſſa, verùm etiam tam ipſum, quàm clientes ac suffragatores ob nauatam ipsi in hoc negotio operâ præmiis affectos, ac honoribus aut iam auctos, aut prope diem augendos. Quæ quidem omnia Pontificiæ approbationis, aut etiam imperii indicia quàm clariſſima pluribus esse videbuntur.

At nos contrà ad institutum possumus ostendere, rebellionem in legitimos Principes quocumque demum quæsito colore, constanti Romanæ Ecclesiæ doctrinæ, iugique traditioni manifestè aduersari: poſ-

sumus demonstrare Regiam Potestatem nusquàm maiori, quàm apud Catholicam fidem profitentes, in veneratione habitam, autetiam nunc haberi: nec Carolum primum Angliæ Regem, ô nefarium facinus! sacrilegis subditorum suorum manibus quasi non secus ac priuatus quiuis humanis legibus subditus esset, trucidandum fuisse, nisi antecessor eius Henricus octauus detestando schismate, ab Ecclesiâ Romanâ deficiendo, viam nationi vniuersæ ad eiurandam Catholicam fidem, hæresimque introducendam aperuisset. Possumus & SS. Patrum centurias, & in his nonnullos Romanos Pontifices allegare, qui constantissimè docent homines Christianos nullo prætextu in Reges suos quantumuis discolos, quantumuis manifestos Ecclesiæ persecutores, arma posse sumere, sed extrema quæque, ipsam etiam mortem perpeti potiùs debere, quàm nefario perduellionis crimine maculentur. Vnde Gregorius theologus Julianũ Christianæ fidei desertorem, dum consilia aduersus Christianos agitaret, non armis, sed Christianorum, quos persequebatur, lachrymis ac tolerantia repressum asserit: *quod solum*, addit ille, HOC CONTRA PERSECVTOREM ERAT REMEDIVM. Optatus quoque Mileuitanus Dauidem hæc de Saüle dicentem inducens. *Volebam*, inquit,

Oratione 1. in Iulianum longè ante finem.

inquit, *vincere, sed prius est diuina præcepta implere: obstat plena diuinorum memoria mandatorum, & vnum est*, inquit Gregorius Pontifex verè Maximus, *quod breuiter suggeras serenissimis Dominis nostris: quia si ego seruus eorum in morte Longobardorum me miscere voluissem: hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa: sed, quia* DEVM TIMEO, *in morte cuiuslibet me miscere formido.* Quin autem Longobardi infestissimi fuerint Romanæ, Ecclesiæ ipsiusque Gregorij sanctissimi Pontificis hostes, nemo qui historiam legerit, ignorat. Itaque cum hanc esse perpetuam Romanæ Ecclesiæ doctrinam, ne ipsi quidem hæretici negent qui hanc nobis opinionem tanquam PAPISTICÆ IGNORANTIÆ FOETVM, exprobrant, nullam speciem veritatis habet sanctissimum Patrem Innocentium X. aut præcepisse, aut probasse, vt Hiberni Catholici ambobus Carolis 1. & 2. Patri, & Filio, legitimis Hiberniæ Regibus, vtramque libertatem Ecclesiasticam videlicet, & Politicam à prioribus quibusdam Regibus minus iustè ablatam, postliminiò reddentibus, nõ obedirent, aut censuras illas, quibus ad perpetranda facinora Christiano homine adeo indigna premerentur, à Ministro suo in eos ferri voluisse.

Vide lib. Optati de gest. purgatic. nis. Greg. lib. 7. regist. Epist. 1. Legatur Aug. in illa verb. Ps. 124 nõ relinquet D. minus virgam peccatorum super sort. iustorũ. In quodam comitiorũ decreto Londini an. 1642 edito.

CONCLVSIO.

Habes in istâ Synopsi, Alithophile, quò

dispicias Religionis studio, an ambitionis & auaritiæ affectu quidam de Clero Regiæ, & Catholicæ partium consensioni hactenus intercesserint; habes quò intelligas quàm verum sit Gregorianum illud NVMERARI CVLPÆ NEQVEVNT, QVÆ AMORE HABENDÆ POTESTATIS PERPETRANTVR; habes denique quo & vera à falsis, & certa à dubiis, & facta à fictis facilè discernas: nihil enim affirmamus, nisi quod ex publicis partis vtriusque actis, & scriptis, vnà, ac totius gentis consensione probare possimus, ac reipsa, si opus fuerit, probaturi simus. At plura dici poterant, & quidem validiora pro defensione patriæ, Magnatumque existimatione vindicanda; non equidem id abnuerem, quod ex voto mihi euenisse profiteor: etenim memini non historiam omnibus suis partibus absolutam, sed historiæ compendium, quod & redditum vides, me tibi promisisse, Alithophile. Et verò institutum non fuit aculearissima quæque aut simul depromere, aut etiam complura, quæ obuia erant, in Reuerendissimum Nuntium vno impetu contorquere; reseruanda si quidem erant grauissima quæque accusationũ capita, seu potius supprimenda, vt vel sic, quam maximè fieri potuit, in ministro errante sanctissimi Patris haberetur ratio.

Greg. lib. 24. in Iob. c. 16.

Superest igitur, vt, quando id & Catholicorum Hiberniæ Magnatum fama,

& nationis totius vtilitas, & Apostolicæ sedis honor, & ipsius suæ Sanctitatis apud vniuersas Europæ gentes existimatio, & iura demum omnia, tam diuina, quàm humana enixissimè efflagitant, sanctissimus Pontifex Innoc. X. Apostolicâ, quâ pollet, authoritate censuras illas non solùm se inconsulto, sed & nullo iure, summâ iniuriâ summoque Nationis Hibernicæ, ac Religionis Catholicæ detrimento, à suo Ministro latas declaret. Æquissimum enim est, vt quod Innoc. PP. III. ad Cardinalem quemdam tam Apostolicæ sedis in Sicilia Legatum de facto eius minus quidem prouido, sed nostro hoc multo minoris momenti, in hæc verba sapienter scripsit, *quoniam* inquiens, *si oporteat vt nos vel tu, ex hoc negotio confundamur*, ELIGEMVS POTIVS TE CONFVNDI, QVAM LÆDAMVS SEDIS APOSTOLICÆ DIGNITATEM. Hæc ille, in quæ apositè Ioan. Andr. *nota*, inquit, *quod Romanus Pontifex, potius sedis Apostolicæ dignitatem quam priuatam alicuius auctoritatem tueri debet.* Æquissimum inquam, videtur, vt idem in præsenti causa, vbi Apostolicæ sedis dignitas periclitatur, Innocent. X. sentiat, & loquatur palam. Et hoc quidem nos iudicium in tantâ, tamque apertâ æquitate fundatum sicut à sacro Petri tribunali tandem aliquando pronuntiandum non tam speramus, quam certo futurum expectamus,

Lib. 1. Decretal. de auctorit. & vsu pallij c. 3. Nisi specialis.

ita gnauis ac illicitis aduersariorum artibus in tantam nationis, ac Religionis perniciem tandiu dilatum suppliciter querimur; nec audiendos putamus nescio quos malè officiosos homines, aut vt verius dixerim apertos Patriæ, ac Religionis hostes, qui de absolutione à censuris *ad Cautelam* saltem, nonnulla garriunt. Etenim Catholici Hiberniæ Primores omnem in hac causa absolutionem respuunt, cùm nulla sit, quin aut culpam supponat, aut culpæ suspicionem: illi verò tam dictante proprià conscientià, quàm prudentium iudicio tam se ab hac, quàm ab illa, reipsa immunes esse norunt, qui se norunt insontes; siquidem vt rectè Hieronymus. *Quomodo Sacerdos mundum leprosum non facit, sic Episcopus, vel Presbyter* NON ALLIGAT EOS, QVI INSONTES SVNT, NEC SOLVIT NOXIOS, & infra. *Si iniusta* (sententia) *tantò magis curare non debet, quanto apud Deum, & Ecclesiam eius neminem potest iniqua grauare sententia. Ita ergo eâ se* NON ABSOLVI DESIDERET, QVA SE NVLLATENVS PERSPICIT OBLIGATVM. Ablatæ igitur famæ restitutionem, violatæ concordiæ redintegrationem, illatorumque per iniquas censuras damnorum recuperationem, non absolutionem, quæ superflua esset, ad suæ sanctitatis pedes prouoluti pridem Hiberni præstolantur.

In Matthæi 3. & ponitur in decreto p. 2. c. 11. q. 3. 44.

Ibid. c. 46.

FINIS.

BREVIS APPENDIX

AD SYNOPSIM HISTORICAM.

CVM mihi consilium esset, vt superiùs te monui, Alithophile, nonnisi pauca ex pluribus, quæ præ manibus sunt, publicis actis in Synopsi edere: factum inde vt nonnulla etiam pro firmandâ allatorum veritate maximè necessaria à me prætermissa intellexerim. Id quum huc vsque promotus animaduerti, ne Catholicæ causæ Procerumque Catholicorum innocentiæ hæc mea moderatio nimis noceret, subiectas Hibernici Cleri declarationes, potiùs quàm deessent, tanquam pro Synopsis appendice atque corollario placuit exhibere.

In his Clerus noster expressis verbis declarat censurarum (quas diuersitatis opinionum nomine intelligit) vibratione factum, vt Natio in se diuisa, ruinæ ac desolationi à Cromvvello tam illatæ iam, quam mox, vt metus est, inferenda patuerit. Vt vel inde constet non immeritò censuris illis nos nationis ac Religionis ruinam in Synopsi adscripsisse. Sed Clerum ipsum, atque etiam paucos illos Episcopos & Prælatos qui hactenus partium

conciliationi aduersati fuerant, præstat audire.

QVÆDAM ACTA ET DECRETA EDITA PER ECCLESIASTICAM CONGREGATIONEM ARCHIEPISCOPORVM EPISCOPORVM ALIORVMQVE PRÆLATORVM COACTORVM APVD CLONMACNOISIAM IV. DECEMBRIS ANNO 1649.

I.

Quia plerique antehac tam de Clero quam de Laicis, actionibus suis agendique vitis multum discordes ac diuisi fuerunt, eaque discordia nata sunt ex contrarietate opinionum quæ nuper inter Prælatos & Laicos contigit: Quo factum vt natio nostra minùs concors, minusque sibi consentiens fuerit quàm necesse esset hoc periculosissimo tempore, quo omnes vnanimis votis & operis communi hosti repugnare debent. Nos Archiepiscopi, Episcopi, aliique huius regni Prælati motu proprio congregati apud Clonmacnoisiam 4. Decembris 1649. *omnibus quæ inter nos versabantur discriminibus (sine vlla priorum opinionum discussione aut decisione) remotis, quo omnes simultates tam à nostris, quam ab aliorum, qui penes nos pendebant, superioriusque opinionum diuersitati hactenus hære-*

bant, cogitatis, animis, & consiliis amandentur, expedire iudicauimus horum tenore omnibus manifestare diuisiones illas, indeque natas simultates iam ex vtriusque partis consensu inter nos, vt dictum est, remissas, & obliuioni traditas esse, nosque omnes & singulos supradictos Archiepiscopos, Episcopos ac Prælatos diuino fauore quasi in vnum corpus coaluisse, sicque iuxta quod charitas, curaque nostra pastoralis efflagitat, tanquam vnum integrum corpus pro rebus & immunitatibus Ecclesiæ, omniumque ac singulorum Episcoporum & Prælatorum, pro honore, dignitate, prædiis, iuribus, ac possessionibus omnium & singulorum prædictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Prælatorum defendendis gnauiter acturos.

Vnitis etiam animis & operis Regia Maiestatis iura, huiusque vniuersa nationis, necnon singulorum priuatorum commoda (quantum facultas erit) consilijs, actis, & industria, data occasione promouebimus. Nec quisquam nostrum vlla prorsus in re Catholicam Religionem, aut huius Hiberniæ regni vtilitatem quomodocunque spectante, sese vllo colore ab aliorũ sensu seiunget, aut reliquis vel in specie aduersabitur. Sed potius (vt iam dictum est) in vnius integri corporis compage firmiter omnes hærebimus.

Per hæc insuper acta, verba, & cogitata detestamur omnium & singulorum qui vel

minimam præteritarum dissensionum memoriam renouauerint, vllamue nouis inter nos discordiis viam strauerint, vniuersosque greges nostros ad eandem fraternam charitatem & vnionem paremque præteritarum dissensionum ac simultatum supradicto modo inter ipsos natarum detestationem in Christi Iesu nomine cohortamur. Volumusque vt hæc nostra declaratio imprimatur, & in singulis Parrochiis propriorum ordinariorum iussu publicetur, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Datum apud Clonmacnoisiam 13. Decembris an. 1649. & subscribitur.

Hugo Archiepiscopus Ardmachanus Hibernia primas.

Fr. Thomas Arch. Dublinienſis.
Thomas Arch. Caſſellenſis.
Ioannes Arch. Tuamenſis,
Fr. Boetius Epiſ. Elphyn.
Fr. Edmondus Epiſ. Laghlinenſis & procurator Vuaterford.
Emerus Epiſc. Clogherenſis.
Rob. Epiſc. Corcagienſis & Cluanenſis.
Nico. Epiſ. Fernenſis
Edmondus Epiſ. Limericenſis, & procurator Epiſc. Oſſorienſis,
Franc. Epiſc. Alladenſis,
Andr. Epiſc. Finniborenſis
Ioan. Epiſ. Laonenſis.

Fr Oliu. Episc. Dromoren.
Fr. Anth. Epis. Clonmacnois.
Fr. Hugo Episc. Duacensis.
Fr. Arthur. Epis. Dunensis, & Connerensis.
Fr. Teren. Epis. Immolacensis.
Fr. Patri Episc. Ardagh.
Oliu. Deis Procurator Episcopi Medensis.
Doctor Ioan. Hussey Proc. Ep. Ardfertensis
Fr. Ioa. Cantwell. Abbas sanctæ Crucis.
Doctor Thad. Clery Proc. Ep. Rapot.
Fr. Greg. ô Ferraile Prouincia Ordinis Pradicatorum Prouinc.
Fr. Th. Mackernane Prouin. fratrum Minorum Prou Hibern.
Walterus Clonfertensis Cõgregationis Secret.

II.

PER ECCLESIASTICAM CONGREGATIONEM REGNI HIBERNIÆ.

Nos Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ordinarij & Prælati regni Hibernia apud Clonmacnoisiam MOTV PROPRIO *4. Decembris 1649. eo fine congregati vt præsentissima aliqua & validissima excogitaremus præsidia, quibus commissi nobis greges in concordiam reuocentur, ac diuturna qua affliguntur, ira ab hac natione iam sub belli famis, ac pestis calamitatibus sanguinante, auertatur, pro instauranda præsente concor-*

dia, quæ sequuntur decernimus.

1. Præcipimus, ac pro huius Congregationis acto decernimus, vt omnes Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ordinarij supplicationes, ieiunia, exomologeses, Dominici corporis communionem, aliaque pietatis opera in suis singuli Diœcesibus indicant TOTIES QVOTIES, *vt imminens Dei ira ab hac natione auertatur, populique ad flectendam diuinam misericordiam magis reddantur idonei.*

2. Præcipimus, & pro huius Congregationis acto decernimus, vt à nobis emanet Declaratio qua popularibus nostris significetur, quam vanè à communibus hostibus Cromwello sub Anglorum perduellium authoritate parentibus, vllam Religionis, vitæ, aut fortunarum securitatem exspectent.

3. Præcipimus & pro huius Congregationis acto decernimus Pastoribus omnibus ac Prædicatoribus iniungi, vt animorum reconciliationem & charitatem doceant ac prædicent, & quo ad eam restaurandam inducatur populus, quàm sit illa omnino necessaria declarent; cùm manifestum sit vnicum illud pro natione ab extirpatione, Religioneque ac fortunis seruandis ab ea, quam hostis inferre statuit, ruinæ, reliquum esse præsidium. Nosque horum tenore quaslibet simultates, siue illæ sint inter prouincias & familiàs, siue inter priscos Anglos, & priscos Hibernos, siue inter quoscumque Anglos & Scotos Regia

Maiestati adhærentes detestamur. Insuper decernimus ac præcipimus, vt quilibet Ecclesiastici qui dissensiones, aut exitiosas diuisiones fouent à suis singuli Prælatis ac præpositis puniantur iuxta grauitatem excessus, & (si opus fuerit) suspendantur beneficiati & pastores ab officio, & beneficio ad certum tempus: Religiosi autem à diuinis iuxta circumstantias delicti, Laicorum in hoc genere delinquentium correptionem ciuili Magistratui per vincula, mulctas, exilia, aut quemcunque alium modum, quem ipse expedire videbit, relinquentes, vt tam detestabile crimen radicitùs extirpetur. Cuius Decreti executionem omnibus in potestate constitutis aliisque quorum interest, eâ districtione, quâ Deo Optimo Maximo malorum inde alioqui nascitorum rationem ipsi reddituri sunt enixissimè commendamus.

4 *Decernimus ac declaramus excommunicatos publicos illos latrones qui vulgo dicuntur* OTIOSI IVVENES, *qui prohorum virorum alios bonis spoliant, alios ad tributa sibi soluenda compellunt. Similiter eos omnes excommunicatos declaramus, qui illos iuuant, hospitio excipiunt, victum ipsis aut donant, aut vendunt, pecora, aut quidlibet aliud scientes ac prudentes ab ipsis emunt. Similiter & Ecclesiasticos omnes qui eiusce modi latronibus, seu desidiosis iuuenibus Sacramenta administrauerint, eosue sacrâ sepultu-*

honorauerint, ab officio & beneficio (si quod habent) à suis singulos præpositis iuxta grauitatem delicti suspendendos declaramus. Hoc nostrum Decretum intra quindecim dies à sui publicatione singulis Diœcesibus obligandi vim habiturum est. Subscribunt

Hugo Arch. Ardmaghanus Hiberniæ primas.

Fr. Thomas Arch. Dublinensis.

Thomas Archiep. Cassellensis.

Ioannes Archiepis. Tuamensis.

Et reliqui omnes qui Superiori subscripserunt.

III.

PER ECCLESIASTICAM CONGREGATIONEM REGNI HIBERNIÆ.

Nos Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarij, aliique huius Hibernia regni Prælati congregati apud Clonmacnoisiam PROPRIO MOTV 4. *Decembris an.* 1649. *Cum inter cætera tum agitata, ac pro huius regni conseruatione statuta negotia, expenderemus plures è gregibus nostris vana quadam opinione seductos sperare primarium perduellium vulgo* PARLAMENTARIORVM *Ducem vtiles pacis leges sibi esse concessurum, eaque spe lactatos in integrum Religionis, vitarum, ac fortunarum ruinam (si occur-*

ratur | esse præcipitaturos. Declaramus per hæc, & tanquam certissimam veritatem exponimus, vt eos ab hac inani expectatione reuocemus, hostis consilium esse Catholicam Religionem ab omnibus Regia Maiestatis dominiis extirpare. Quod tam ex crebris perduellium Comitiorum decretis, quàm ex duc[illegible] ipsorum, vbi victores sunt, more euidenter apparet. Qui quidem mos nobis manifestus est ex epistola à Cromvvello 19. Octobris an. 1649. ad eum qui tum Roßsiponto oppido præerat, scripta. Eius verba sunt.

Quantum ad id spectat, quod mentionem facis de libertate Religionis, nullius ego conscientiam tango. Verum si per conscientiæ libertatem, faciendæ missæ libertatem intelligis, planè tecum agete satius duco, tibique significare, quod vbicumque Angliæ Comitia prævalent id non concedetur.

Tyrannicum hoc propositum iam Vadiponti, Vvexfordiæ, Roßsiponti, & alibi executioni mandarunt, euidenterque notum est, quod per decreta Comitiorum, qua vulgo ACTA SVBSCRIPTIONIS *dicuntur, incolarum huius regni prædia iam sint vendita, adeo vt nihil amplius ipsis faciendum superßit quam vt emptores per exercitus illos qui [illegible] Anglia in hoc regnum transfusi sunt, in prædiorum illorum possessionem mittantur. Quantùm vero ad vulgum spectat, qui ab*

hostibus, modo nonnihil mitiùs tractatur, id non alio fine, quam promouendi proprij commodi voto faciunt, quo videlicet alendis suis copiis ille in præsens famuletur. Cæterum constitutum illis, si fortè (quod absit) vicerint, statim à partâ victoriâ ipsam etiam plebem extirpare, & terram hanc transferendis huc nouis ex Anglia coloniis plantare; cuius veritatis indicio est tantus indigenarunt numerus, quos iam substitutis in eorum locum hostibus ad Nicotiæ insulas relegarunt. Reuera enim consilium extirpandæ Religionis huiusce modi, exilium, aut alia aliqua id generis desolatio sequatur necesse est. Illa siquidem sine omnium Catholicorum ciuium cæde aut relegatione extingui non potest.

Vulgo ibac.

Nos igitur tam pro nostro in Deum officio, quam pro debita conseruationi gregum nostrorum cura facere non possumus quin eos admoneamus, ne sibi illudi sinant, sequeue iustarum conditionum ab illo crudeli hoste obtinendarum spe pessumdent. Quamobrem nobiles alioſque omnes huius regni incolas per Dei gloriam, propriamque ipsorum salutem obtestamur, vt necessaria, quantum facultates ferunt, ad belli contra communem hostem sustentationem impigrè & alacriter contribuant. Quo facto sperandum erit fore vt diuinâ miseratione ab imminentibus malis seruati, posthàc in nativo solo Deo seruire

valeant, suisque possessionibus, laborumque fructibus à grauibus, quibus modo premuntur, oneribus, immunes in posterum fruantur.

Admonemus pariter eos qui militiæ nomen dederunt, iamque stant in armis, vt ceptam defensionem iuxta singulorum munia, positamque in ipsis fiduciam contra communem hostem in tam iusto bello pro Religione, Rege ac patria suscepto constanter prosequantur, quatenùs diuinam benedictionem actionibus suis infundendam exspectent. Demum monemus, quo graue Dei iudicium, patriaque indignationem declinent, ne populum expilent, aut opprimant, aut quemquam ex subiectis imperio suo, quantum in ipsis erit, ciuem aliquem concutere aut opprimere sinant. subscribunt

Hugo Archiep. Ardmaghanus Hiberniæ Primas, & reliqui qui Superioribus declarationibus subscripserunt.

Multa in his declarationibus attentionem tuam merentur, Alithophile, illudque primo in prima declaratione obseruues velim, conciliationem istam ita ab Episcopis factam, vt expressè significent se diuisionis in Clero & populo ex censurarum occasione natæ discussionem in tollendo dissidio præteriisse. Fortè nè, si id tentarent, irrito conatu conuenissent, omnemque pacem potiùs respuissent

dissensionis satores, quam se calamitatum Nationis authores agnoscerent.

2. Non solùm Ecclesiæ & Ecclesiasticorum prædiorum, sed & Regiæ Maiestatis, regiorumque commodorum à Congregatione illâ habitam esse rationem. Iam tandem videlicet intellexit Clerus quorumdam à Regiis partibus abalienatione aduersa omnia contigisse.

3 Prouisum esse à Congregatione vt nemo ipsorum in posterum quocumque demum prætextu à reliquorum sententiis, & concordibus votis deflectat, adeoque nouis censuris quæ à priuatis quibusdam etiam Episcopis ferri possent præclusum aditum.

4. Summoperè Clerum illum consilia eorum & acta detestari, qui præteritas diuisiones vel commemorando fouent, vel nouarum spargunt semina.

In 2. declaratione, meritò agnoscunt Prælati, bellum, famem, ac pestem quibus diuexantur, diuinæ iræ indicia, atque adeò peccati pœnas esse verè enim dictum est *propter iniquitatem corruptisti hominem.* Psal. 58. 12. Euidens est profectò Hibernos ab initio Religionis, Regis ac Patriæ defendendæ necessitate ad arma compulsos, etsi rebus omnibus ad bellum necessariis destitutos, quia tamen vnanimes, nec tum in Regem rebelles, plurimùm, Deo iustis cœptis bene

bene fauente, præstitisse. Statim verò postquam à Reuerendissimo Nuntio seducti per pacis proscriptionem à iustitiæ & fidei in Maiestatem tramite, nimiâ, & immaturâ bonorum Ecclesiasticorum cupiditate abducti sunt.

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fracta vires, auersa Deimens. Æneidos 2.

2. Ex eadem declaratione patet nimis turpiter deceptum diu fuisse Eugenium, Eugenianos, aliosque eorum fautores, qui tam domi quam foris reuerentiùs de perduellibus Comitiis, quam de legitimis Principibus vsquedùm loquebantur, pluraque ab illis in politicæ libertatis, & verè Religionis ipsius fauorem, quam à Rege, Regiisque ministris regio nomine agentibus sperabant. Quod perperam hactenus factum Clerus hic monet. Vtinam non sero nimis? vtinam, inquam, vel nunc Crellio, & aliis persuadere sufficiant.

3. Vnicam superesse agnoscunt seruandæ Religionis ac Nationis viam, amicitiæ videlicet & concordiæ redintegrationem. Vnde patet quantum vtrique aduersati hactenus fuerint discordiæ opifices, & etiam nunc aduersentur eius fautores, maximè qui friuolis quibusdam rationibus ducti censurarum decisionem à summo Pontifice minimè efflagitandam, esse contendunt.

4. Caue oſcitanter legas, Alithophile, verba illa, quibus omnes ſimultates inter homines cuiuſcumque communionis, ſint, modo ſtent à Rege, horrere ſe teſtantur Epiſcopi. Id enim verbis illis INTER QVOSCVNQVE ANGLOS AVT SCOTOS REGIÆ MAIESTATI ADHAERENTES ſignificari neminem fugit. Ex quo perſpicuum eſt pacem illos cum Regiis hominibus, etiam proteſtantibus, virium que contra communem hoſtem, & operarum coniunctionem probare.

5. Obſeruari velim quàm ſtrictâ coërcitione caſtigandos præcipiant cuiuſcumque inſtituti Clericos, eius quam iam inter partes reparari cupiunt, pacis perturbatores. Ad quod vtinam attendiſſet angularis quidam Concionator, qui in priuatis conuenticulis prædicandi Euangelij ſpecie habitis, Reuerendiſſimi Nuntij & cenſurarum ab ipſo latarum cauſam non adeò pridem Pariſijs agens, tam immodicè ſtomachatus eſt, vt primâ vice quotquot funeſtis illis cenſuris morem gerendum non ſentiunt, deſertoribus fidei adnumerandos pronunciauerit, ac paulò poſt non paulo violentior factus, tanquam qui in Spiritum ſanctum peccauerint, indignos qui ad altare Domini miniſtrent, iudicauerit. Quod quidem eo intolerabiliùs ab inani illo cenſore atten-

tatum esse videtur, quod, post habitam harum declarationum notitiam, quæ dixi aliaque id generis quam plurima loquutus comperitur. Sed vbi de seminandâ discordiâ, lacerandisque per diuisionem Nationis visceribus agitur, Reuerendissimi Nuntij & quatuor Episcoporum ratio habetur, & præstandum ipsorum decretis obsequium enixiùs quam diuinorum præceptorum obseruatio commendatur: Vbi verò vniuersus Nationis Clerus, etiam ipsi superioris diuisionis authores Episcopi de pace restaurandâ sopiendisque diuisionis fomitibus conueniunt, quæque in hunc finem facere videntur salubriter decernunt, obseruantiam non merentur. Hæc nimirum apud Rinnuccianos Euangelii prædicatio! hæc illa quam tantopere iactant, fides, fides, inquam, sed vt quidam rectè ait *temporum non Euangeliorum*

In tertiâ denique declaratione etsi omnia obseruatione digna sunt; vnum tamen peculiariter tuam exspectat sententiam, Alithophile, Quod videlicet necesse est esse tam de censuris, quam de Superiori Eugenianorum cum Comitialibus commercio iudicium Episcoporum illorum, qui hanc declarationem ediderunt, in quâ nihil præter integram Religionis ac Nationis ruinam à communi

Regis & Nationis hoſte exſpectandum proditur.

Cæterum monendus es, vt Epiſcoporum omnium, aliorumque Prælatorum, qui huic interfuerunt Congregationi, nomina exactè legas, ac inter cæteros præter vnum Fr Bo tium Roſſenſem eos omnes qui cenſuris ſubſcripſerant, & nominatim Clogherenſem hi etiam declarationibus ſubſcripſiſſe obſerues. Hoc equidem qualecunque reconciliationis conſilium laudandum, deque eo nonnihil etiam in deſperatis propè rebus ita lætandum arbitramur, vt tamen verendum ſit, ne in illos eius authores prouerbium quadret, *ſero ſapiunt Phryges*, vt & illud.

Sero medicina paratur
Cum mala per longas inualuere moras.

Imo magis verendum eſt ne medicina vlla, vel iam tandem nullo ſucceſſu adhibeatur Nullam enim eius rationem habent Hiberni Minoritæ in exteris nationibus, ac præſertim Romæ agentes, qui cenſurarum negotium, quantùm poſſunt, in omnibus promouent, bonos omnes ſui ordinis homines tam in vrbe quam alibi paſſim vehementer exagitant, non ſecus quam ſi illis declarationibus non ſubſcripſiſſet ipſorum ante-hac in rebellione coriphæus Fr. Malkiernanus Prouinciæ Hiberniæ miniſter Prouincia-

lis ; quem fortè eo nomine Fr. Paulus King apostatis adscribet. Ita videlicet quem secuti sunt errantem, sequi nolunt pœnitentem. Tamen Procellæ huius violentiam experti sunt viri admodum venerandi R. P. Fr. Georgius Dillon Galuiensis Guardianus vir non minus prudentiâ, pietate, & regularis vitæ castimoniâ commendabilis, quàm longa & illustri natalium serie clarus, ac R. P. Fr. Nicolaus Archbold doctrinâ, pietate, ac studio tam in Catholicam Religionem, quàm in Regem ac patriam maximè conspicuus; vt & quidam eiusdem ordinis religiosi iuuenes è Louanienſi Hibernorum Collegio nuper expulsi: illi quidem quòd, vt pote pij ac pacifici homines Hibernicæ diuisionis authoribus non accesserint, eorumque consilia tanquam patriæ pernicioſa horruerint: Hi verò quod Louanium perficiendorum studiorum causâ solius R. P. Raymondi Caroni missu venerint.

Nihil etiam ijsdem declarationibus deferunt plerique Hibernici Presbyteri titulorum Ecclesiasticorum auidissimi captatores, quorum quidam nuperrimè in suâ quam Romam scripsit epistola de omnibus sibi in censurarum causâ non consentientibus loquens: *non potui*, inquit, *huiusmodi excommunicatos homines* [illegible] *for-*

mutare & infrà. *Est & quidam eorum qui mihi quidem non loquitur, quem tamen præ cæteris omnibus timeo; plures enim factiones quam reliqui omnes Parisijs habet. Is existimationi D. Nuntij plusquam reliqui penè omnes, credo, solus nocuit: scripsi ad D. Nuntium in postremis meis datis ad ipsum literis, eique significaui peculiares quasdam quas ipsi intulit calumnias. Nihil opus est vt nomen eius scias, aut acta eius cuiquam reueles, antequam priuata quadam ac compendiaria via in ipsum prospectum fuerit.* Quid per priuatam illam & compendiariam viam aliud intelligat, quam insidias viro illi parandas ac struendas, aut fortè mortem ipsam occultis quibusdam artibus ipsi, si possit, infligendam, non occurrit. & infra de literis, quas ad quosdam Concilii Proceres aliosque Hiberniæ Catholicos scriptas, ipse priuata authoritate interceperat, mentionem faciens, *quia*, inquit, *ex his literis planè percipere poterat* (magnæ Britanniæ Regina) *miseros illos garrulosque excommunicatos* (Assessores Catholicos, aliosque censuras non audientes designat) *nec pro fide, nec pro Rege, nec pro patria, sed contra sanctam Ecclesiam decertare.* Et ne quem fugaret huiusmodi homines solo Ecclesiasticorum beneficiorum voto ad impiissima facinora præcipitari potiùs quam ferri, Idem

infra *miror*, inquit, *si Luffanus ibi sit, quod non scripserit ad me de eo quod in ijs negotijs susceperit, aut si epistolas meas D. Nuntio tradiderit, necne, non me monuerit.*

Ænigmata hæc non quibuslibet œdipis sed solis hominum illorum inspectoribus obuia sunt. His enim officiis quæ D. Nuntio exhibere tam ambitiosè tam sollicitè contendunt vilesanimæ, non aliud quam suum commodum spectant, non aliud quam vnum aut plura beneficia impiâ hac assentatione ambiunt, idque, quod magis mirandum est, vbi venenum suum in patriæ Proceres eructauerint, aliosque quoslibet probos Ecclesiæ ac pacis tranquillitati studentes inuido dente momorderint, consecuturos se certò sciunt: vt patet ex titulis decanatuum Cassellensis & Ossorienſis Ecclesiarum in eos homines collatis qui nullâ re nisi ex his quas passim in Reuerendissimi Firmani fauorem inferunt calumniis, & in ijs continuandis impudentiâ ac pertinaciâ noti sunt. Hominum eiuscemodi non aliis quam cæcæ auaritiæ simul & sacrilegæ ambitionis stimulis percitorum mille nocendi artes satis ex eo patent, quod cum ante editas illas declarationes, non solùm Reuerendissimi Nuntij, sed maximè potioris (vt falsò iactabant) Hibernici Cleri partis authoritate ad obseruandas cen-

furas moueri viderentur : iam vniuerso eodem Clero diuisionem omnem ex censuris natam sopire cupienti, idque interminatis pœnis iubenti consentire detrectent. Vnde minimè mirum est si vereor ne morbus adeò intimis visceribus, ipsisque medullis hæreat, vt leniter curari non valeat. Quin imo adhibitis quibus releuari deberet remediis, vehementiùs ingraueſcat. Ego certè quidquid alij senserint, nonnisi manante à Christi in terris Vicario Romano Pontifice censurarum decisione, iniunctisque istis hominibus concordiæ & silentii studiis plenæ partium conciliationi prouisum iri crediderim, iterumque vereri me dico ne id ipsum aut æquo tardiùs aut nullo modo eueniat, quo fiat vt in gentis nostræ excidio Gregoriani illius *causa ruina populi sacerdotes mali* veritas pateat.

Greg. l. 2. Expos. in cap. 2. lib. 1. Regum.

FINIS.

JESUIT LIBRARY
IHS.
MILLTOWN PARK

Alma#9913776280060102l